BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
D
41
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
PHYSICO-MEDICA
EPIDEMIAE NEAPOLITANAE.

Digitized by Google

HISTORIA
PHYSICO-MEDICA
EPIDEMIAE NEAPOLITANAE
AN. M. DCC. LXIV.

OPERA AC STUDIO

CAELESTINI COMINALE

IN

REGIO ARCHI-GYMNASIO NEAPOLITANO

PHILOSOPHIAE, ET MATHESEOS PROFESSORIS

Elucubrata.

B. N. R. NEAPOLI

NEAPOLI M. DCC. LXIV.

VULGANDI IMPETRATA VENIA

EXCUDEBAT FRANCISCUS MORELLUS.

Digitized by Google

Artem experientia fecit exemplo monſtrante viam

Manilius.

Digitized by Google

ERUDITIS, ET MEDICINAE STUDIOSIS

AUCTOR.

QUamquam diu Amicorum impulſibus, ut de re medica aliqua ſcriberem, pluries incitatus eſſem; eorumdem tamen ſuaſionibus ſemper reſtiti. Ars enim longa, occaſiones celeres, experimenta periculoſa, errores utplurimum humano generi infeſti, ſuſcipiendi, ac ſuſtinendi muneris difficultatem ſatis mihi oſtendebant. Cogitabam revera, provectiori aetate, divino favente Numine, poſtquam plurima rimatus, ac ſedulo meditatus eſſem, ſi quid edendum inveniſſem, ſcribere. Verum quoniam quae ſemel aeterna lege ſtatuta ſunt, ſuo tempore tandem eveniunt; ideo me etiam, ut ita dicam, invito, religioſe ſervatum adeo ſilentium, ut tandem abrumperem, tempus acceſſit. Sub finem ergo proxime praeteriti auguſti, cum familiariter agere, datum eſſet mihi, cum cl. Dominico Mangieri, qui noſtra in Academia, ſumma dignitate, in Cathedra primaria juris civilis floret: ex communi veluti epidemici jam jam ſpirantis morbi naufragio evaſi, & mutuo gaudentes, acci-

accidit, ut quodam die de ejus natura, uti caeteroquin apud omnes tunc temporis mos erat, alloqueremur; quoniam plurima confuſa, ac fere contraria de eodem audierat, quaerebat cl. vir, an ex obſervationibus certi aliquid mihi conſtaret. Annui, & aliqua eorum, quae ex multiplici morbi facie, ac eventu, de ejus natura collegeram, ea, qua ſoleo, ſimplicitate expoſui; quae, cum innumeras morbi varietates, atque anomalias ad faciliorem captum reducere, videret, clariſſimo viro minime diſplicuerunt. Ergo ut ejuſdem accuratam hiſtoriam texerem, hortatus eſt: tamen praeteritae non adhuc immemor fortunae, ipſi quoque iterum reſtiti: timebam enim ne, novo licet ſcribendi genere, & mihi, & invidis moleſtiam crearem. Verum eruditiſſimus vir, qui non modo propriis, ſed aliorum quoque laboribus Reipublicae prodeſſe perpetuo ſtudet, tanta mihi dicere ſcivit; ut ſpreto etiam, quidquid inde accedere poſſet mali, iterum ſcriberem. Credebam primo breviſſima diſſertatione omnia comprehendere: verum manibus ad opus admotis, rerum ſummam in dies increſcere vidi. Iterum ergo cl. viro ex ſcriptis aliqua communicavi, qui ut nihil morarer; & omnia, quae
ferax

Digitized by Google

ſerax porrigebat memoria ; ſcribere monuit, cum poſtea de ordine cogitaretur. Expleto dein labore, ne lectores longa nimis oratione fatigarem, conſuluit, ut ſelectiora per capita dirimerem. En prima operis ratio. Plurimis ergo ſepoſitis, ac ſelectioribus per capita digeſtis, ut ne quid omiſiſſe viderer, abſolutum licet opus, typis committere non auſus ſum, priuſquam eruditiſſimum aliquem in arte medica virum conſuluiſſem. Altero ergo clariſſimo viro Michaëlangelo Roberto, qui & in Regia Academia eruditiſſime praxim medicam docet; & clinice ſumma laude, ac dignitate per urbem exercet, noſtrique in praeterita Epidemia magis viderat, atque tentaverat, concredidi: ut ſuo tempore expenderet, & an morbi naturae conſentaneum, ac publica luce dignum exiſtimaret, candide fateretur. Cl. hicce vir ſtatim, ut moras rumperem, publicique juris facerem, ſuaſit. Haec primum ideo advertenda putavi, ut cui labor hic originem, ac lucem debeat, quiſque intelligat; & ut ne, nos quoque inſanabili ſcribendi cacoëthe teneri judicet.

Quoniam non in re medica maxime attritis, qui hiſce non indigent, ſed Eruditis, qui de ea

quan-

quantum ad omnigenam eruditionem pertinet, delibare ſolent, ac medicinae Alumnis ſcribimus; ideo monendum ſecundo loco cenſemus: Artem medicam non adeo incertae, ac lubricae naturae eſſe, vel quam ignarum vulgus depraedicat, vel quam Medicorum quidam, ut propriam ignorantiam excuſent, adfirmare ſolent. Quaeſo inter Automaticas machinas ex manu omnipotentis egreſſas, ecquaenam humana majori ordine ac ſymmetria extructa videtur? Ecquaenam conſtantioribus legibus regitur, ac gubernatur? Nulla ergo ex machinae fabrica, aut oeconomia incertitudo mente quidem aſſignari poteſt. Quae ſemel enim providentia poſuit, ſemper debito tenore uſque ad datum tempus perſiſtunt. Inconſtantia ergo, & incertitudo ex imbecillitate noſtra potius oritur, qui conſtantiſſimas, ac aeterna providentia ſtatutas leges nec rite rimari, nec ſatis intelligere ſcimus. Noſtra utique hac aetate, poſtquam innumeri, & clariſſimi viri in ſana, vel infirma humanae machinae natura expendenda contabuerunt: nonne innumera in apricum deducta videmus, quae antea latebant? Quod ſi plurima adhuc non ſatis enucleata perſiſtunt; quid mirum! Ecquaenam ex diſciplinis,

quae

Digitized by Google

quae in honore nunc ſunt, numeris omnibus eſt abſoluta ? Ecquaenam ſuos ſcopulos, ac ſyrtes non habet ?

Hinc tertio loco Medicinae Alumni monendi videntur: ut calumniam, quam imperitum vulgus doctrinae nec dignitate, nec utilitate caeteris inferiori tribuit; & nonnullorum Medicorum imperitia ſovet, ac confirmat, avertere ſtudeant. Quod utique obtinere queunt, ſi neceſſarios ejuſdem fontes adeant, totiſque viribus eam ſibi rite comparare nitantur. Quoniam aeque mira deprehenditur illa, vel cum infelices eventus praedicit, vel cum felices curationes abſolvit. Mors enim non medicinae vitio, ſed humanae ſortis fato tribuenda eſt. Mediciſque aequalis honor accedit, ſi curabiles aegros ad priſtinam ſanitatem perducunt, ac ſi inſanabiles praedicunt. Puriſſimos, ac uberrimos Medicinae fontes hic indicare, noſtri muneris eſſe minime videtur. Innumeri enim extant clariſſimi in arte medica viri, qui id ex profeſſo effecerunt, expeditamque viam reddiderunt, qui facile & comparari & perlegi poſſunt. Duo tantum vitia ſilentio praeterire nequimus: unum, quo laborare videntur ii, qui philoſophicis, ac theoricis medita-

tionibus immerſi morborum facies, varietates anomalias inviſere dedignantur. Hi in arte medica hoſpites ſemper erunt, nec morbos omnigena eruditione ſua intelligunt, nec felices aut infelices eventus pervident, aut cognoſcunt, nec mortem avertere, nec ſanitatem revocare ſciunt. Hinc videmus quotidie eruditiſſimos medicos infeliciſſimos clinicos eſſe: alterum, quo laborant ii, qui philoſophicis, aut theoricis medicinae fontibus vix e limine ſalutatis, ſtatim aegrotantium curationi toti ſe tradunt. Hi diverſo licet tramite inceſſerint, pari vitio, ne dicamus pejori, laborant. Hi licet quotidie ante aegrorum lectum degant, & cum ipſis infirmentur, ſemper tamen novi, & admiratores exiſtunt; naturae enim ſermonem non intelligunt: unde ad ejus motus admiratione perculſi ſtupent, nec ſpectatoris, nec actoris vices gerere ſciunt.

Hinc tertio loco iiſdem auctor ſum, ut ſolidiſſima prius fundamenta jaciant, matheſim ſive puram, ſive mixtam, phyſicam experimentalem, hiſtoriam naturalem, metaphyſicam, praeſertim pſychologiam ſibi comparando; deinde proprios ac theoricos medicinae fontes adeant; ut primo ſermonem, ac motus naturae intelligere

gere diſcant. Deinde morborum obſervationi toti ſe tradant; & epidemicorum, ac ſporadicorum morborum, omni tempore, ſummo ſtudio compoſitas hiſtorias perlegant: proprias conſcribant, & adinvicem comparent. Sic eruditiſſimi in ipſa evadent; & ſibi exiſtimationem, aegris opem, patriae gloriam conciliabunt. Hac methodo non infimi ſubſellii mathematicus, experientiſſimus phyſicus, ac hiſtoriae naturalis peritiſſimus, ut alias omnigenae eruditionis ſuae partes omittam, procedens clariſſimus Boerhaavius, ſapientiſſimus Medicus evaſit; & ſibi, ſuiſque fortunas, magnumque nomen peperit; eademque ſtudiorum inſtitutione celeberrimi evaſerunt ejuſdem Auditores Swietenius, Hallerus, Gorterus, aliique; & Belgio, Germaniae, Helvetiae nomen, & gloriam conciliarunt. De caetero, ſi quid boni in hac hiſtoria, tumultuario licet ſtudio concinnata, invenient lectores, eo fruantur; & auctori ſuo felicitatem deprecentur; ut quae diu in phyſicis, vel in medicis rimatus, aut meditatus eſt, praeterita meliori fortuna, publici juris faciat.

Digitized by Google

OPERIS PROSPECTUS.

Epiſtola ad Eruditos, & Medicinae Studioſos
in qua
Operis ratio, & monita ad Medicinae Alumnos continentur.

PRAEFATIO,
in qua
Neceſſitas, & ſcribendi difficultas exponitur.

CAPUT I.
De iis, quae morbi ortum praeceſſerunt.

CAPUT II.
De morbi invaſione, & decurſu.

CAPUT III.
De remotis morbi cauſſis, & primo de aëre.

CAPUT IV.
De victus ratione, altera morbi cauſſa.

CAPUT V.
De Animi affectibus, altero morbi fonte.

CAPUT VI.
De cauſſis morbi proximis, ejuſque natura.

CAPUT VII.
De ſymptomatum origine, & cauſſis.

CA-

CAPUT VIII.

De morbi curatione: ubi

I. *De auxiliis publicis, & oeconomicis.*

II. *De auxiliis medicis: ubi primo de vomitoriis.*

III. *De ſanguinis miſſione.*

IV. *De coctione, & evacuatione in primis viis promota.*

V. *De coctione, & evacuatione in ſanguine, totoque vaſculoſo ſyſtemate promota: ubi de uſu aquae, de Bezoardicis, cinnabarinis, veſicantibus, ſpecifico adverſus rabiem, &c. agitur.*

VI. *De curatione ſymptomatum.*

VII. *De diaeta.*

VIII. *Canones practici.*

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

EPidemicae Conſtitutionis, quae Neapoli an. 1764. *longe lateque graſſari viſa eſt, etſi quamplurima ſint, quae accuratiſſimam hiſtoriam expoſtulant: non deſunt tamen, quae ejuſdem conſcripſionem impediunt. Requirit eam primo Ars Medica, quae morborum obſervationibus nata, atque clariſſimorum virorum ſtudio accuratioribus quotidie aucta, gaudet ſemper novis locupletari. Poſtulat Exterorum medica, & civilis curioſitas: fecit enim nonnullorum imprudentia; ut per omnem paene Europam falſus divagaretur rumor, Conſtitutionis Neapolitanae indolem revera peſtilentem fuiſſe: unde merito exteri, ſive Medici, ſive qui Urbium, Regionumque praeſident regimini, ſolliciti fuerunt, ut veram ejus naturam cognoſcerent. Efflagitant noſtri ſeriores Nepotes, ut ſi unquam revolutis annis, cauſſae, quae praeſentem Epidemiam praeceſſerunt, apparere incipiant: ſciant aut omnimodam combinationem praecavere; aut ſi illam avertere nequeant: ſtatim oeconomicas inſtituant diſpoſitiones, quae Epidemicae Conſtitutionis majorem propagationem diſtineant. Quamquam non levis utique momenti ſint haec,*

quae

Digitized by Google

quae animum ad opus impellunt: non minoris deprebenduntur illa, quae prudentes Scriptores ab eodem avertunt. Prima & obſcura morbi origo nonniſi confuſum Hiſtoriae initium praebet. Non ſatis praeviſa invaſio antecedentium cauſſarum ſeriem advertere minime fecit: unde Morbi aetiologia manca, & imperfecta neceſſario eſſe debet. Multiplex teterrimi morbi facies medentes in varias ſententias traxit. Urbis amplitudo, aegrorumque infinitus pene numerus effecit, ut omnes unus obſervare nequiverit; ideoque admodum difficile eſt, quemquam ex univerſali diſtinctiſſima morbi cognitione ſcribere: quod ſi ex propriis, amicorumque obſervationibus fecerit; impoſſibile quoque erit, omnium ſententiae adſtipulari: quare neceſſario potius quam laudem, contumeliam ex labore accipiet. Quid ergo agendum? Silendumne, an ſpreto etiam, quod exinde accedere poſſet, detrimento, ſcribendum eſt? Inerti ſilentio, incertae licet fortunae, anteponenda videtur ſcriptura. Quoniam cui verus ineſt patriae amor, magis eſt cordi publica, quam privata utilitas. Poterant utique meliora dare, qui plurimum in arte medica inclyta in hac urbe valent. Verum innumera, majoriſque momenti negotia tantum ocii iis concedere non videntur. Summis ergo ipſis relictis,

ſcri-

Digitized by Google

ſcribendi munus libenter ſuſcipiamus. Quod ſi forte fortuna omnium voluntatem explere non liceat, voti minime compotes parcant imbecillitati noſtrae, corrigant mendoſa, promant meliora, dummodo Reipublicae proſint.

HI-

HISTORIAE
PHYSICO-MEDICAE
CONSTITUTIONIS EPIDEMICAE
ANNI 1764.

CAPUT I.

De iis, quae Morbi ortum praeceſſerunt:

§. I. QUONIAM Epidemici morbi ex omnium ſcriptorum conſenſu a communibus quibusdam cauſſis fere originem ducunt: hae autem vel variae anni temporum conſtitutiones, vel hominum diaeta, vel diverſae Animi affectiones utplurimum eſſe ſolent; ideo noſtri muneris eſſe putamus, de iis primo, quantum ad nos pertinet, dicere. Inculcavit id artis filiis ſapientiſſimus Hippocrates praeſertim libro de Aëre, aquis, & locis, inquiens: *quicunque artem medicam in-*

Digitized by Google

tegre adſequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat (non enim ſimile quicquam in illis exiſtit, verum differunt invicem propter varias, quae in eis fiunt mutationes). Deinde ventorum calidorumque & frigidorum maxime, qui ex his omnibus hominibus ſunt communes, & mox qui in unaquaque regione ſunt indigenae & proprii. Et paullo infra inquit. *Hominum inſuper diaeta perquirenda, qua maxime capiantur: an bibuli ſint & lurcones & ocio dediti, aut exercitiis variis utentes, & tolerantes laborum, ciborumque plus adpetentes, quam poculorum.* Et poſt quam multa utilia tradiderat, tandem concludit: *hoc namque modo ſi quis rimatus fuerit ac praecognoverit temporum occaſiones, maxime de ſingulis ſciet, utplurimumque ſanitatem adſequetur, & recta via procedet, non minima artis ſuae gloria;* quam quidem doctrinam tota de popularibus oratione confirmat, cum in omnibus paene libris atque ſectionibus de temporis conſtitutione, & diaeta primum ediſſerat. Tanto ergo duce ac magiſtro obſervandum primo cenſemus, Morbi natalem praeceſſiſſe aeſtatem anni 1763. calidiſſimam, ſiccam nimis, ac ventis auſtralibus frequentiſſime perflatam.

tam. Meſſis mediocris extitit: caeteri vero fructus & quantitate pauci, & qualitate parum ſalubres inventi ſunt. Autumnus adeo placide proceſſit, ut laxandi animi cauſſa ruri agentibus non paucum ſolatium adtulerit: non deciduis imbribus valde humidus ſe praebuit: nec frequentes licet Auſtri dierum ſerenitatem turbarunt nimis. Novembri ingrediente per aliquot dies ſpiravit Boreas nimia rigiditate minime moleſtus: nec valde invaluit, Auſtris iterum dominatum reſumentibus.

§. II. Tempeſtatibus hiſce ſucceſſit hyems anni 1764. non horrida, ſicca potius quam humida. Circa Januarii medium non interrupto trium dierum ſpatio horridus ac impetuoſus ſpiravit Euro-notus. Februarius præter morem calidum potius quam frigidum ſe dedit. Copioſae pluviae humidiſſimum reddiderunt Martium. Humidum & frigidum effecerunt Aprilem aquae & lapſae nives: ſepoſita rigiditate humidus proceſſit Majus, quem aeſtivi calores anni 1764. exceperunt.

§. III. Annonae caritas annum 1764. mature nimis praeceſſit. Autumno enim non dum ſpirato ſuillae carnes deficere viſae ſunt;

& bubulae parum ſalubres deprehenſae fuerunt. Ipſo ſub Januarii initio frumenti defectus maniſeſtiſſime ſe declaravit: hinc caetera alimentorum genera hominum malitia, ut praetio augerentur, juſto parcius praebere non horruit: eoque nonnullorum iniquitas devenit, ut & cineres, & marmorum pulveres, aliaque dictu incredibilia, humano alimento non modo inepta, ſed omnimode adverſa, in panis confectione adhibuerit.

§. IV. Penuriam hanc mirum in modum auxit gentium confluxus ex proximis regionibus advenientium: quarum aliae ſibi ſuaſerant opulentiſſima in Urbe propriis ſumptibus alimenta comparare: aliae vero majori miſeria exagitatae ſperarunt victum quotidianum ex bonorum virorum liberalitate obtinere. Verum nec multum utilitatis ſibi adtulerunt, & Urbis felicitati quammaxime nocuerunt. Annonae enim portione ſublata penuria aucta eſt. Pauperes vero, ſalva licet omnium ordinum profuſiſſima liberalitate, ob immenſum paene numerum, non modo parum profecerunt; ſed innocentes licet, beneficas manus mortifero veneno contaminarunt. Erant enim hi vel inedia conſumpti, vel victu & peſ-

& peſſimo regimine infirmati: ſcrutatis vix tecti jacebant, & dormiebant ſub divo omnibus aëris injuriis expoſiti.

§. V. Praeter haec, quae infimam partem jactabant, non deerant, quae nobiliorem ſive ſpiritum vehementer vexabant. Timor de omnimodo inſtanti panis defectu turbabat omnes; pietas, quam egeni ubique movebant, nonniſi triſtes curas in animo excitabat. Haec erat rerum facies, quum ad aures inclyti Regis noſtri devenit: haec ſtatim effecit, ut ejus amor ac clementia omnia, quae ad felicitatem urbis totiuſque Regni apprime conducerent, ſumma providentia imperaret: hinc ſontes debita poena affecti fuerunt; quaeque nonnullorum malitia latebant, in apricum & commoda vitae deducta fuerunt: hinc ex longinquis etiam regionibus & frumentum & alia alimentorum genera advecta vidimus. Nec noſtrum immemor Regis Catholici Majeſtas, ut amiſſam dilectiſſimae Urbi reſtitueret annonae ubertatem, propriis ſumptibus & panem & frumentum mitti imperavit: Utque Regia magnanima voluntas in omnibus adamuſſim adimpleretur, celeberrimo Marchioni Bernardo Tanucci rerum ſummam propius inſpicien-

cienti commiſit, ut nullis curis, nulliſque laboribus parcens, omnia, quae optatam felicitatem reſtituerent, quocunque ſumptu ac molimine compararet. Quanta induſtria quantaque efficacia in humana republica clariſſimus hicce vir rem confecerit, adeo evidens perſpectumque apud omnes eſt, ut ipſi & reſtitutam ubertatem, & propulſum morbum tam indigenae, quam exteri deberi fateantur.

§. VI. Rediit ergo providis diſpoſitionibus in Urbem ubertas, non vero ſalubritas. Importatum enim Frumentum non omne ſanae indolis erat: tamen primo parum aut ferme nihil prae neceſſitate ad ejus naturam animadverſum fuit: unde eo nutriti fuerunt paene omnes a fine Februarii uſque ad novam meſſim; nec niſi paullo ante hanc novis regiis juſſis examinatum eſt, & ob peſſimam inventam ejuſdem qualitatem maxima parte in mare projectum eſt.

§. VII. Inedia interim vel mala victus ratio jam altas in corporibus morboſas egerat radices, vel ipſa imbecilliora, vel peſſimis humoribus gravida reddendo. Ad ſuſcipiendos morbos quam prona ſint imbecillia corpora, noverunt veteres, non ignorant Recenſiores: ideoque ſcripſit Hip-

po-

pocrates (*a*): *Caeterum tales naturas, quae cito & fortiter eiuſmodi delictis offenduntur, imbecilliores aliis eſſe judico. Proximus autem eſt imbecillus languenti: verum imbecillior eſt languens*. Hippocratis ſententiae adſtipulari videtur Cornelius Celſus, quum inquit (*b*) *omnibus morbis abnoxia maxime eſt infirmitas*; & alibi ſcripſit: *quando corpus offenſum eſt, id maxime ſentit pars vitioſa*: hinc horum veſtigiis haerens Cl. Hoffmannus plurima congeſſit, ut Medicinae alumnis oſtenderet, corporum imbecillitatem morbis potiſſimum obnoxiam eſſe (*c*). Neque inſalubres humores ab peſſima victus ratione inducti, reſtituta ubertate poterant ſtatim in ſanam indolem converti. Fortaſſe ubertas, ut citius morbus prorumperet in cauſſa fuit. Famelici enim contrario vitio laborarunt. Verum Hippocrate docente nihil magis corporibus obnoxium, quam ſubita in contraria mutatio.

§. VIII. Neque profundas, quas graves Animi affectus in ſolida ac fluida corporum toto penuriae decurſu induxerant morboſas mutationes,

(a) Lib. de veteri Medicina.
(b) Lib. 1. cap. 3.
(c) Med. ſyſt. T. II. Par. 3. cap. I.

Digitized by Google

nes, reſtituta ubertas ſtatim abolere poterat. Exhauſtae enim plurimorum ſubſtantiae optatam ubertatem ipſis impetrare nequibant. Primis ergo perdurantibus affectibus, nequibant contrarii pari celeritate, & efficaci vi, licet nullo mechaniſmo explicabili, corpora in melius mutare. Quare ſimplici mechaniſmo commiſſae morboſae corporum impreſſiones, animo reluctante, deleri non poterant. Ex hoc alio fonte infirma reddita corpora morbis obnoxia perſiſtebant.

§. IX. Quid mirum ergo ſi poſt tot tantaque Morborum inſtrumenta multiformis adeo, & pervicax in gentes proruperit unus! Juvat tamen ad ejus cognitionem invaſionis hiſtoriam texere: reguntur enim omnia certis ac mechanicis principiis a ſummo Numine in hoc rerum orbe ſtatutis, licet in omnibus a breviſſimae Mentis humanae vi non probe intellectis, nihilque ſine ratione ſufficienti aut naſci, aut interire poſſit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Morbi Invaſione & decurſu.

§. X. AUtumnus licet, Celſo advertente, aliorum fere anni temporum longe periculoſiſſimus exiſtat (*a*); quia, ut docuit ſagaciſsimus Medicinae parens Hippocrates (*b*), *in ipſo morbi acutiſſimi, & pernicioſiſſimi omnino ſunt:* tamen is, qui annum 1764. praeceſſit, ſatis ſalubris extitit. Non ita tamen ſe geſſit proxima hyems; circa medium enim Januarii indicati modo anni ſurda & ſine ſtrepitu graſſari cepit epidemica diarrhaea, quae quamplurimos uſque ad Aprilem paene affecit. Obmurmurabant primo inteſtina: eorum deinde borborygmis, duorum vel trium dierum ſpatio vix elapſo, copioſiſſimi olioſi alvi fluxus putrida ac aeruginoſa materia conſperſi ſuccedebant. Poſt quatuor vel quinque dies ſolitum afflictionis tempus patientes relinquebant debiliſsimos, nulla alvi ſtipticitate ſuperſtite. Utplurimum nulla comitabatur febris. Non defuerunt tamen, qui ea ſimul vexati fuerunt.

B §. XI.

(a) Lib. II. cap. 1.
(b) Aph. IX. ſect. III.

§. XI. Incertum adhuc, an prima haec epidemica conſtitutio morboſa, an potius ſalubris fuerit: ſalubrem fuiſſe ſuadere poſſet multiplex obſervatio, quod ſaeviente etiam maxime febrili Epidemia, multi etſi invadentis morbi ſigna jam jam perſentirent, ſi dejectio putrido-bilioſa ſuperveniebat, a morbo evadebant: ſicut & invaſi, dejectionibus ejuſmodi arte vel natura procuratis, praecipue liberati ſunt. Econtra ſilente circa vernum aequinoctium Epidemica diarrhaea ſtatim febres graſſari ceperunt ignotae primum indolis, quia non dum ſatis obſervatae. Nonnullae cum frigore nauſea & vomitu bilioſo invadebant: unde a ſimplici in viſceribus exiſtente putredine ortum ducere exiſtimatum eſt. Aliae vero doloribus gravativis per corpus omne diffuſis in ſcenam prodibant; ideoque rheumaticae naturae dixerunt nonnulli. Incerto marte proinde pugnatum eſt primo. Morbi pervicacitas deinde, uniformitas quaedam invaſionis & decurſus in quamplurimis, & novum in dies incrementum docuerunt, morbum epidemicum & determinatae naturae eſſe, modo his, modo illis ſymptomatibus ſtipatum; idque adeo omnibus innotuit, ut ſub fine Aprilis Medi-

dicorum nullus extiterit, qui de Epidemica conſtitutione dubitaverit. Quare animum applicuerunt omnes, ut veram ejus indolem, eventum, ac felicem curationem cognoſcerent. Verum ecquis omnium obſervationes, & tentamina hic exponere poſſet? Quamobrem quae licuit nobis obſervare, quaeque ex amicis ediſcere datum fuit, qua decet in ſimilibus occaſionibus ſinceritate, exponemus.

§. XII. Quoties adtento animo, quos curavi aegrotantes, mecum ipſe conſidero; toties licet febricitantes omnes invenerim, non parvum diſcrimen in ipſis adverto. Et ſi quiſque vel ad varium invaſionis tempus, vel ad diverſum aegrotantium temperamentum, vel ad ſymptomata, quibus ſtipatae prodibant febres, vel ad eventum animum adtendat, credere facile inducor, de adſerto diſcrimine eumdem mecum ſentire. Re vera ſi ad invaſionis tempus animadvertamus, licet ab initio etiam pervicacitate ab aliis morbis ſe diſtinguendas dederint febres; tamen idoneis adhibitis remediis utplurimum cedebant; ac felici fere ſucceſſu poſt 14., aut 21. circiter dies liberos ab omni labe relinquebant aegros. Procedente vero ulterius anni tempore non modo ex-

Digitized by Google

tenſive, ſed intenſive quoque creſcebat morbus; ita ut Majo vertente & aegrorum numero & ſymptomatum violentia terreret omnes. Non modo enim in Noſocomiis longe lateque graſſabatur, infimaeque ſortis gentibus continebatur; ſed altiora conſcendere penetralia jam modum invenerat. Ejuſmodi tamen adhuc erant febres, ut maxima parte ſuperabiles reperirentur. Junio vero ineunte morbus acmen virulentiae ſuae adcepiſſe viſus eſt; quos enim tunc temporis invaſit intra 7., 14., aut 21. dies e medio ſuſtulit. Quod ſi climactericos hoſce dies miſeris effugere datum erat: Morbi principis reliquiis ad caput, pectus, vel ad viſcera imi ventris propulſis, ſecundariis aliis morbis vel ſtatim vel paullatim conſumpti ſummum diem obibant.

§. XIII. Stetit morbus in acme virulentiae ſuae ab initio Junii uſque ad dimidium Julii: tum quum primo brevis ſed violenta decidit pluvia; & paullo poſt uberior recidit: exinde morbus aliquo modo declinare viſus eſt, non qualitate quidem; quoniam ii, quos adgrediebatur, aut vitam cum morte commutabant; aut priſtinam ſanitatem nonniſi ſumma induſtria, ac moleſto

ſex

ſex rerum nonnaturalium regimine adquirebant: bene vero quantitate ; aegrorum enim numerus ſenſibiliter imminui viſus eſt. Inſuper ſporadici morbi, ut mos eſt, Medicorum curationi ſe ſe obtulerunt: cum prius eodem morbo omnes paene laborarent, eademque in omnibus eſſet facies: ſi naturale morbi diſcrimen excipiatur. Circa dimidium Auguſti ipſa epidemici morbi indoles quoque modo mutata obſervata eſt. Signa enim erant eadem, violentia vero diverſa, & eventus ut plurimum feliciſſimus; ita ut defunctorum numerus in dies decreſcens paene ad ſolitum aeſtivum perductus fuerit. Morbi autem reliquiae non ſtatim extinctae fuerunt, ſed per aliquod aliud temporis ſpatium perdurarunt. Menſe enim Septembri, & Octobri morbus adhuc vagabatur. Nonnulli enim eodem deprehenſi ſunt, & ſolitis clymacteribus diebus extincti; & nonniſi omnimoda temporis anni mutatione evanuiſſe viſus eſt.

§. XIV. Quod ſi ad aegrorum temperamentum, invaſionis modum, morbi decurſum adtendamus, non levis quoque diverſitas reperitur. Utplurimum eos, qui ſanguineo-bilioſo praediti erant temperamento, ſtatim cum horro-

rore, pulſu contracto, vehementi capitis dolore invadebat febris: deinde nauſea, & vomitus adcedebat, quibus omnibus immodicus calor ſuccedebat, quo corpus omne exurebatur. Hi ni ſtatim copioſiſſimis ſanguinis miſſionibus, vomitoriis, atque opportunis alvum ſolventibus occurrebatur, brevi delirabant lingua inareſcebat, petechiae ante ſeptimum prodibant, rubrae tamen longe lateque diffuſae; & dein vel convulſi, vel profundiſſimo ſomno ſepulti intra ſeptimum, vel decimum quartum interibant; quod ſi aliquo modo occurrebatur, vel vigeſimo primo die peribant, vel metaſtaſi in principem aliquam partem ſuccedente, novo morbo occumbebant. Quod ſi metaſtaſis in artus vel minus principes partes ſuccedebat, aut integra criſis obtinebatur; tunc majori minorive moleſtia curabantur. In horum maxima parte invadentis febris conſtans periodus obſervabatur; quae aliquando ex frigore, & pulſuum contractione; aliquando ex acceſſu vel augmento quorumdam ſymptomatum cognoſcebatur. In hujuſmodi temperamenti aegris licet aliquod diſcrimen reperiretur; uniformitas tamen quaedam circa ſequentia ſymptomata aderat ſemper. In omnibus pulſus

ſus durus deprehendebatur, & aliquando ſumma violentia vibrans, & aliquando prae nimia tenſione adeo oppreſſus, ut ictus vix ſatis aperte percipi poſſent: omnes quoque vehemens capitis dolor cruciabat, ita ut ad tempora veluti clavorum penetrantium ſenſum excitaret; & aliquando temporum dolores manus ſibi mutuo dabant, & faſciae frontem veluti ſtringentis ſenſationem excitabant. Vomitus & ſeceſſus natura vel arte procuratus bilioſus ſemper erat, aut ſimul putrida & aeruginoſa materia gravidus. Inveni inter hos quemdam ad melancholicam naturam magis pronum, cujus pulſus magnus videbatur, ſed tardus et aliquantulum tenſus, nec virulentiae quidquam indicabat morbus, niſi ex qualitate ſanguinis e vena emiſſi, levi nocturno vaniloquio, ac aliqua ſyncope id colligebatur, qui tandem undecimo die convulſus obiit. Convulſiones fere ſingultu ſe manifeſtabant. Deinde artubus ſuperveniebant; & tandem in nonnullis per corpus omne diffundebantur.

§. XV. Qui vero lymphatica temperie donati fuerant, vel aliqua prius cacochimia laboraverant, invadentis morbi vim hoc alio ordine ex-

experiebantur. Laſſitudo ſpontanea primum corpus occupabat ; & ſimul faciei ac totius cutis luridus & defoedatus color obſervabatur. Praeter oris amaritiem, quam aegri perſentiebant: lingua ex virore veluti pallida apparebat, aliquando viridi, flava, vel plumbea cruſta obducta. Dolores gravativi per corpus diffuſi fere primis diebus aderant. Pulſus erant exiles, & adeo tardi, ut vix febricitare aliquando viderentur. Hos catarrhali febre nonnulli laborare dixerunt. Adeo imbecilles erant hujuſmodi aegri, ut corporis viribus vix ſe committere poſſent, quin ſtatim ſyncope adcederet. Morbo ulterius abſque idonea cura procedente circa ſeptimum petechiae prodibant, aliquando inſtar bullulae elevatae & ſero varicolori repletae ; aliquando vix elevabantur, & flavi, cinerei, & nigri coloris erant. Excretiones alvi putridae valde deprehendebantur verminoſae, varicolores, & aliquando cadaveroſum ſpirabant odorem. His fere adcedebat gangraena, & lethargo ſuperveniente peribant.

§. XVI. Praeter hactenus expoſitos invadendi modos, alium obſervare nobis licuit: aegri primis diebus vix febricitare videbantur. Calor de-

Digitized by Google

debita proportione per corpus omne diffuſus ſentiebatur : pulſus parum aut ferme nihil a naturali ſtatu mutati erant, ni eos paullulum contractos dicere velis. Caput vero determinata diei hora accendebatur : quae quidem partialis accenſio majori minorive functionum Animalium oppreſſione aut perturbatione per aliquod tempus durabat, dein paullatim declinabat iterum ſolita hora reditura ; ita ut verum in his deprehenderetur, quod Hippocrates ſcripſit de Polycrate (*a*) : *In Polycrate*, inquit, *febris adeo lenis erat, ut obſcure, praeter quam in temporibus, conſiſteret*. Et re vera in his circa tempora arteriae violenter pulſabant, & calor maximus circa frontem deprehendebatur ; interea dum reliquum corpus frigidum erat, vel naturaliter calebat. Verum ſpreta hac partiali febre circa quintum aut ſeptimum vires adcipiebat ; & niſi ſubito opportunis remediis occurrebatur, delirabant aegri, petechiae erumpebant, communique fato involuti peribant.

§. XVII. In his quoque, imo & fere in omnibus quocunque modo invaſis alvi excretiones putridae & bilioſae erant, hoc tantum diſcri-

 mi-

(a) Libr. VII. Epid.

mine, quod putredinis gradus non idem in omnibus erat; & bilis in nonnullis flava, in aliis aeruginoſa, in aliis viridis, & porracea obſervabatur. Quo plures & quo magis inſoliti in foecibus adparebant colores, eo major erat morbi virulentia. Urina primis diebus naturali utplurimum ſimilis erat. Quod ſi ſub aquea diaeta erant aegri, ſtatim aquea reddebatur. Aliquando viridis & flava, aliquando turbida & ſine ſedimento obſervabatur, aliquando lateritia et craſſa in medio ipſius innatabat materia. Quando prope dies criticos ſedimentum exhibebat, criticis diebus morbus feliciter ſolvebatur. Econtra ſi poſtquam adparuerat ſedimentum, iterum evaneſcebat, & turbida aut limpida reddebatur, metaſtaſi in nobiliores partes facta, peribant aegri. Quibus toto morbi decurſu alvus fluida natura vel arte ſervata eſt, & urina copioſa effluxit, hi utplurimum evaſerunt. Non ita tamen ſe res habuit circa ſudorem; quibus enim ſudor adcedebat praeſertim primis diebus, alvus ſtatim ſicca reddebatur, venter intumeſcebat, & adcedente utplurimum ſingultu, peribant. Conſtat hoc nobis ex propriis obſervationibus: cum in toto Epidemiae decurſu non niſi in unica tantum

no-

nobili faemina ſudorem profiguum obſervaverimus: devicto nempe magna ex parte morbo, circa decimum quartum foetidus ac craſſus ſudor in febris declinatione bis vel ter adceſsit, et morbus integre ſolutus eſt. Verum audio, alios profiguos quoque obſervaſſe ſudores praeſertim adulta jam conſtitutione, cum calor aeſtivus increvit. Peſſimi quoque ominis fuit vomitus vel vomendi conatus aut poſt exhibitum vomitorium aut ſponte ortus, & uſque ad nonum, undecimum, aliumve diem protractus. In omnibus quoque, qui vera febre epidemica laborabant, conſtanter aderat ſpaſmus, flatulentia, ac anxietas circa hypochondria praeſertim in hepatis regione. Ad convulſiones quod ſpectat, non in omnibus aeque obſervatae fuerunt. Deſaevierunt maxime in iis, qui elaſtico praediti erant temperamento; et in hypochondriacis: imo pluribus obſervationibus fraetus adſerere audeo, hos omnium maxime morbi viribus obnoxios extitiſſe, magiſque in miras, atque anomalas aegritudines incidiſſe. Sanguis e vena emiſſus in omnibus paene niger, & craſſus apparuit; ita ut ſtatim vel ſupra vulnus ipſum vel in vaſe, quo recipiebatur coagularetur.

C 2 §. XVIII.

§. XVIII. Ad invaſionis ac diagnoſeos doctrinam pertinere videtur quoque diſquiſitio illa, qua quaeritur, an noſtra haec conſtitutio epidemica tantummodo fuerit: an epidemica & contagioſa ſimul extiterit. Salebroſiſſima utique qnaeſtio; quoniam facile in malam partem adcipi poſſet. Verum ſilentio abſolute comprimi nequit; quia de hac praecipue non modo noſtrates, ſed exteri ſolliciti viſi ſunt. Credimus tamen, eam ita omnium ob oculos poni poſſe, ut & hiſtoricus candor ne vel hilum foedatus remaneat; & panicus nonnullorum timor evaneſcat. Si contagioſi dicendi ſunt morbi, qui contactu propagantur, negari abſolute non poteſt, conſtitutionem hanc noſtram contagioſam fuiſſe. Non modo enim in Noſcomiis obſervatum eſt, adminiſtros eodem morbo affectos fuiſſe; ſed contagionis hujuſce plurima exempla per urbem obſervata ſunt. Sic religioſi quidam viri, qui infectis pauperibus ſtipem praebebant, eodem morbo affecti, & extincti ſunt. In privatis quoque familiis a parentibus propagatus eſt morbus in filios, a filiis in parentes, & adſidentes. Non negandum tamen eſt, praediſpoſitionem quandam neceſſariam fuiſſe, ut morbus ſuſcipi potuiſ-

tuiſſet. Quoniam inconcuſſa quoque res eſt, non omnes aegris adſiſtentes morbum ſuſcepiſſe, licet perpetuo aegris adminiſtraſſent etiam cum ſenſibili aliquo pathemate, vel cum non ſatis ſomno machinam inſtaurabant, vel cum aliqua de cauſſa perpatiebantur. Et de me ipſo candide adſerere poſſum, nulla paene cautela quamplurimis adſuiſſe curandi cauſſa, eos ſollicite obſervaſſe, modo pulſus modo viſcerum naturalium ſtatum modo frontis calorem explorans, modo urinam modo alvi excrementa examinans; praeſertim cariſsimo amico, quem ſecundario pulmonum morbo conſumptum poſt ſexaginta dies tandem amiſi, quemque adhuc lugeo. Hujus ante lectum perpetuo paene eram, bis vertiginem perpeſſum ſum; & tamen a morbo uſque ad praeſentem diem divino ſavente Numine immunem me reperio. E contrario quamplurimi, etſi ab aegris omnibuſque locis, quae in ſuſpicionem cadere poſſent, omni induſtria ſe defendiſſent, tamen eodem morbo affecti ſunt.

§. XIX. Patet ergo ſine immediato contactu a cauſsis univerſalibus in omnes agentibus morbum in nonnullis progenitum fuiſſe. Quod vero in quamplurimis contactu excitatus fuerit,

non

non probat peſtilentis indolis morbum fuiſſe: diſtinguendum eſt enim probe inter epidemicum, & vere peſtilens contagium. Peſtifera enim febris ex cordatiorum voto & omnium acutiſſima, & interdum primo vel ſecundo die jugulat. Noſtris regionibus clariſsimo Hoffmanno advertente (*a*) nec epidemia nec ſporadica ex prava victus vel vivendi ratione, aut inſalubri aëris conſtitutione prognata, ſed ſub aëre ſaluberrimo a ſolo contagio ex calidiſſimis jam infectis orientalibus plagis advecto ortum ducit. Imo & peculiare habet, quod non ut aliae malignae febres & putridae per largos ſudores, alvi fluxus, aut alias excretiones, ſed tantummodo veneno ad partes externas glanduloſas critice & ſalutariter protruſo per tumores in abſceſſus deſinentes ſolvatur. Porro ſecus ac in aliis contagioſis & petechialibus quoque febribus tanta conſtantia & tenuitas miaſmatis peſtilentialis eſt, ut prompte adhaereat revus poroſis, & ad multa milliaria integra manente perniciali ſua vi transferri poſſit. Demum ſingulare quoque eſt in peſtilenti miaſmate, quod prava, & multiplicativa ipſius indoles intenſo frigo-

(a) Capit. XII. de febre peſtilentiali.

Digitized by Google

gore non modo cicuretur, ſed et plane extinguatur, quo fit, ut tempeſtate frigida, & in regionibus praefrigidis rarius vel plane non, ſub calido autem caelo & vehementiſſime & frequentiſsime graſſatur.

§. XX. Haec omnia verae peſtis eſſentialia in noſtro epidemico morbo minime deprehenſa ſunt: aegri enim vel ſeptimo vel decimo quarto vel vigeſimo primo die utplurimum peribant, & majori parte evadebant, non ſecus ac in omnibus acutis morbis vulgaribus adcidit. Ortum non ex ſingulari veneno aliunde advecto, ſed ut paullo infra dicemus ex manifeſtiſsimis cauſsis, puta mala victus ratione, inſalubri aëre, peſsimo vivendi regimine, aliiſque cauſsis traxit. Venenum non adeo conſtantis indolis fuit, ut ſtatim aliis corporibus adhaereret: plures enim adſiſtentes aegris immunes fuerunt; plurimique etſi infecti ſolita acutorum methodo tractati diebus propriis evaſerunt. Nec adeo indomitae naturae fuit, ut applicatum vinci, & applicandum extingui non poſſet; debitis enim remediis & cautelis adhibitis aut evadebant, aut morbi invaſionem eſfugiebant. Indubia quoque res eſt, quod ſtatim ac

ac regiis juſſis nova extructa fuerunt Noſocomia ; & aegri commode magis collocati , ac probe curati fuerunt ; ſicut & pauperes debitis locis ſecluſi, ac nutriti , morbus evanuit. Quae ſi vera ſunt , ut experti loquimur , evaneſcere debebat exterorum quorumdam panicus ille timor, quo parum deerat, quin commercium omne cum hoc Regno interdicerent ; quoniam contagium noſtræ conſtitutionis non ejus indolis erat, ut facile de loco in locum transferri poſſet . Imo obſervatum eſt, plurimos ab urbe timoris cauſſa diſceſſiſſe, & in novis regionibus aut morbum minime perpeſſos eſſe ; aut ſi umquam eo laborarunt, aut extincti fuerunt, non exinde morbi propagatio, ut ſolet in vera peſte contigere, orta eſt.

§. XXI. Quae hactenus expoſuimus etſi non integram diagnoſeos doctrinam tradunt ; quia fortaſſe alia ſymptomata, aliaque invadendi genera adfuerunt nobis praetervifa ; tamen non parvam ejus partem curioſis ſiſtunt, et alia hic omiſſa capite ſeptimo de ſymptomatologia dicentur. Eſſent nunc aliqua de eventu morbi dicenda. Verum de hoc nonnulla in ſuperioribus dicta fuerunt; plurima dicenda ſuperſunt, cum de curatione age-

agemus. Hic ergo generice tantum advertimus, infelicem eventum cum aegrorum multitudine comparatum non adeo numeroſum fuiſſe, quantum ab imprudentibus quibuſdam promulgatum eſt. Secundo morbus graſſari maxime viſus eſt in Xenodochiis, ubi prae multitudine primum peſſimis halitibus ſibi mutuo & morbum, & mortem inferebant; ſecundo debita cura tractari nequibant. Debaccatus eſt quoque in viliorem populum, qui eodem defectu laborabat. Non negandum in caeteros quoque ordines invectum eſſe. Verum horum amiſſi facile & numerari, & deſignari poſſunt. Ad eventum morbi referendum eſt quoque, quod qui a morbo evadebant, non omnes immediate priſtinam ſanitatem obtinebant. Plurimi enim, facta metaſtaſi morbi principis in parotides vel artus, chyrurgorum curationi commiſſi curabantur. Quibus vero metaſtaſis in viſcera naturalia aut in pulmones fiebat, ut ſupra indicavimus, poſtquam per aliquod tempus novo morbo fuerant colluctati, tandem peribant. Extinctus licet aliquando morbus videretur in quamplurimis tamen levi de cauſſa recrudeſcebat; & hi utplurimum occumbebant, verumque deprehendebatur illud Ovidii

Heu mihi quam multos febris recidiva peremit.

CAPUT III.

De Cauſſis Morbi remotis, ubi primum an Aer ad ejus generationem influxerit, expenditur.

§. XXII. QUamquam hactenus enarrata ad accuratam morbi hiſtoriam abſolute requiri intelligatur; tamen ea non videntur, quae vel ipſam numeris omnibus abſolutam reddunt, vel curioſorum votis magis ſunt expetita. Leguntur enim a prudentioribus hujuſmodi hiſtoriae; ut exinde pro ſe proque concivibus ſuis fructum aliquem colligant. Quare quae praecipuam horum curioſitatem explere poſſunt, videntur illa, quae vel morbi naturam oſtendunt, vel quibus externis cauſſis ille proprium ortum debuerit, vel quas hae corporibus applicatae morboſas induxerint conditiones, ex quibus tamquam ex uberrimo fonte ſupra deſcripta ſymptomata fluebant, vel tandem quibus modis Natura vel Ars eaſdem everterit, aegroſque ad priſtinam ſanitatem perduxerit. Verum hoc

hoc opus, hic labor eſt. Quae hactenus jam expoſita fuerunt, omnibus aperte nimis patebant; ſatiſque erat, aegros adtento animo obſervare, ut percepta deinde deſcriberentur ſymptomata. At externas cauſſas, quae corporibus applicatae eadem morboſe mutabant, indicare; & latentes in corporibus genitas mutationes in apricum deducere, difficillima utique res eſt; ideoque merito cecinit Poëta

Felix rerum, qui potuit cognoſcere cauſſas

In hac ergo hiſtoriae obſcuriſſima parte divinare potius, quam detegere datum eſt nobis. Caveat ergo quiſque, quas adducere conamur cauſſas, tamquam abſolute veras adcipere: ſolummodo enim velut probabiles tradere audemus. Libenter utique ab earum recentione abſtinuiſſemus: ni omiſſa morbi aetiologia, hiſtoria haec manca & imperfecta evaſiſſet; & nos in aequam Eruditorum, Medicorumque reprehenſionem incurrere ſatis noviſſemus. Quomodo enim de Morbi curatione loqui poſſibile umquam foret, nulla aetiologica face praelucente? Rationales utique Medici, ut Celſus in praefactione pluries monuit, *non credunt poſſe eum ſcire, quomodo morbos curare conveniat, qui unde ſint ignoret.*

E contrario *eum recte curaturum eſſe dicunt, quem prima origo cauſſae non fefellerit. Imo & occurſurum in initio dicunt eum, qui originem non ignoravit.*

§. XXIII. Quae cum ita ſint, ut poſſibilis doctrinae huic concilietur evidentia: obſervandum hic in limine putamus, abditas in corporibus humanis morborum cauſſas duplici ex fonte hauriri poſſe, vel ex cognitione externarum cauſſarum in corpora agentium, vel ex effectuum praeternaturalium corporum eorumdem notione; cognitis enim ex phyſicis externarum cauſſarum natura & viribus, & ex anatomicis & phyſiologicis machinae humanae fabrica & oeconomia: earum actione ſemel percepta, neceſſarius effectus ſtatim intelligitur. E contrario praeternaturalibus machinae actionibus ſive effectivus cognitis, morboſae internae phyſicae conditiones, ſive cauſſae neceſſario innoteſcunt. Nos autem ut tutiori, quoad fieri poterit via, incedamus, ex utroque fonte cauſſarum ſummam haurire conabimur.

§. XXIV. Quoniam vero de epidemico morbo ſermo eſt, & Hippocrate docente (*a*): *quando*

(a) Lib. de nat. hum. §. 28.

Digitized by Google

do ab uno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore, cauſſam ad id, quod communiſſimum eſt, & quo maxime omnes utimur referre oportet. Eſt autem hoc ſpiritus & aer, quem inſpirando trahimur; ideo primo quid in noſtram conſtitutionem influxerit *aer*, qui eodem advertente (*a*) *maximus eſt in omnibus, quae corpori accidunt & vitae, & morborum auctor & dominus*, expendere conabimur. Re vera in ipſo ſumus, & vivimus, ut ajebat clariſſimus Borellus, Telluri tantum inſiſtimus. Variis autem modis hoc vitae inſtrumentum in ejuſdem exitium commutari poteſt. Agit enim ille in corpora gravitate & elaſticitate ſua: vel cum externe ambiens illa magis minuſque comprimit; vel cum interne penetrans eorum fabricam promovet. Praeter haſce, alias in Animalia edit actiones corporibus heterogeneis ex Telluris ſuperficie evaporatis vel exhalatis, quae perpetuo admixta ſecum defert; ideoque laudatus modo Hippocrates alumnos ſuos iterum commonuit (*b*): *Quum unus morbus popularis graſſatur, manifeſtum eſt, diaetam non eſſe culpabilem, ſed quem trahimus ſpiri-*

(a) Lib. de flat. §. 4. & 6.
(b) Lib. de nat. hum. §. 10.

ritum in cauſſa eſſe, & palam eſt eum ipſum ſpiritum morboſam aliquam exhalationem habere. Agit tempeſtatum varietate magniſque mutationibus frigoris aut caloris, quibus quotidie obnoxius exiſtit: unde ſagaciſſimus idem Hippocrates ſcripſit (*a*): *Mutationes anni temporum maxime pariunt morbos: & in ipſis temporibus magnae mutationes aut frigoris, aut caloris*, & *alia pro ratione eodem modo*: motu denique ſive ventorum actione; quoniam pro diverſo horum flatu varii graſſantur morbi. Neque ab Hippocrate diverſos reperire licet celeberrimos Recentiores: En quomodo ſuper eadem re explicatur clariſſimus Fridericus Hoffmannus (*b*): *Epidemii certis tantum temporibus prodeunt; & quia aëris vitiis, & alienis exhalationibus, & inquinamentis in eo contentis, temporumque conſtitutione plane praeternaturali debentur, ſit, ut in diſtrictu plures invadant . . . . ſolertis itaque, & periti eſt medici morborum, qui graſſantur origines & cauſſas a priori, ideſt ex praecedenti temporum ac tempeſtatum habitu probe cognoſcere eo conſilio, ut poſtea communes ejuſmodi af-*

(a) Aph. 1. ſect. 3.
(b) Medic. ration. ſyſt. tom. 2. cap. VI. ſch. §. VII.

Digitized by Google

afflictiones convenienti diaeta vel auxilio avertere, & corpora ab iis praeſervare poſſit. Et Batavus Hippocrates, ut alios praeteream, de morbis epidemicis agens, ſcriptum reliquit (*a*) . . . . . . *& tamen ob communem pluribus afflictionem, poſſibilem evitationem, & excluſionem vento vel igne: in aere reſidere comprehenditur. Et in eo magis ob varietatem inexplicabilem exhalationum, quae vel mixturae, vel ſtimuli ratione noſtrae machinae nocent, quam ob mutationem notabilem qualitatum ſenſibilium; ut obſervatio docet, tamen vix niſi contagio humano, quod mirum, morbos excitare. Nos autem proprie epidemicos vocare ſolemus.*

§. XXV. Hiſce ergo ducibus, ſi ad aëris conſtitutionem, & anni tempora, quae noſtram epidemiam praeceſſerunt adtendamus, ex iis, quae capite primo de variis anni temporibus diximus, colligere facile datur, caeteris ſilentibus ventis Auſtrales non modo per aeſtatem, ſed autumnum, ipſamque hyemem dominatum obtinuiſſe. Verum hi, e mari meridionalique plaga ſpirantes, humidi & calidi ſunt; & cum diuturniores venti adferant in regionem, quam adeunt, eum aëris ſtatum, qui fuit in ea regione, unde adve-

(a) In aph. de cogn. & curand. morb. §. 1407.

veniebant : neceſſario aëris noſtra conſtitutio auſtrina humida & calida eſſe debuit. Quid haec corporibus applicata in Animalia producere potuit, ii praeſertim Medici, & Eruditi intelligere queunt, qui de phyſica ſperimentali optime meriti ſunt ; hi ſiquidem compertum habent, auſtro ſpirante, gravitatem aëris imminui. Mercurii in barometro tunc temporis deſcenſus gravitatis defectum jam dudum demonſtravit : elaſticitatem in auſtrina humido-calida conſtitutione decreſcere innumeris experimentis evictum eſt. Verum duabus hiſce viribus deſtitutus aër, ineptus protrahendae vitae reperitur. Oſtendit id machina Boyliana, in qua, pondere & aëris elaſticitate imminutis, Animalia conſtituta anhelant primo, tandem tumefacta pereunt.

§. XXVI. Aër ſiquidem ad vitam ſanitatemque incolumem ſervandam duplex requiri videtur, vel corporibus internus, qui liquoribus & univerſo corpore continetur, vel externus, qui eadem ambit. Ille elatere ſuo & expanſiva virtute in ſolida & fluida agens eorundem denſitatem, firmitatem, & elaſticitatem promovet. Hic gravitate & preſſione ſua interni actionem continet, retorquet, vividiorem reddit, nimiamque

que ejuſdem elaterii expanſionem impedit, atque in aequilibrio ſervat: unde motrices fibrae firmae & elaſticae magis redditae majori vi oſcillant, liquores percutiunt, ſolidiores fluidioreſque reddunt; ideoque hi facilius aequabiliuſque circulationem per corpus omne abſolvunt; & ſecretiones ac nutritionem probe efficiunt: unde totius machinae functiones expeditae magis fiunt. Hinc ſub caelo ſereno puro & temperato, placido ſpirante borea, quum barometro indicante, aer gravis & aequalis exiſtit, inſigne robur & corpori & animo adcedit; homineſque ad actiones corporis & ingenii praeſtandas tunc longe alacriores eſſe videmus. E contrario in auſtrina conſtitutione corpus minus premitur ab externo aëre; & interno, elatere ſuo ſe ſe dilatante; rareſcunt, & expanduntur liquores, fibrarum compages reſolvitur. Huic actioni praeſertim favet calida humiditas. Nihil enim potentius Animalium partes deſtruit, quam humiditas cum calore conjunctim applicata: quod pluribus experimentis oſtendere poſſem, ni extra inſtituti limites nimium vagare exiſtimarem. Oſcillationes ergo fibrarum & vi & numero decreſcunt: unde liquores in viſcidam & lentam

maſſam abeunt: inertia ideo ſumma in corpore ſuboritur, & maxima diſpoſitio ad ſuſcipiendos morbos. Noverunt hoc etiam veteres; ideoque Celſus ſcripſit (*a*): *Auſter aures hebetat, ſenſus tardat, capitis dolores movet, alvum ſolvit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum:* & ante ipſum jam Hippocrates monuerat (*b*): *Auſtri auditum gravantes, caliginoſi, caput gravantes, ſegnes, diſſolventes, quum hic dominatum tenuerit, talia patiuntur.* Quam quidem ſententiam iterum confirmat inquiens (*c*): *Auſtrinae vero* (conſtitutiones) *corpora diſſolvunt, & humectant, & Auditus graves, & capitis gravitates faciunt, & vertigines in oculis, & corporibus motum difficilem, & alvos humectant.*

§. XXVII. Re vera ita ſe res apud nos habuiſſe, vel ut ſana docet philoſophia, vel ut Hippocratis & Celſi vaticinia monent, innumera ſunt ab effectibus petita, quae confirmant. Non modo enim qui morbo corripiebantur, ſed quamplurimi, ne dicam omnes, conſtitutionis tempore de laſſitudine ſpontanea, atque ad omnes functiones ſegni-

(a) Lib. II. cap. I.
(b) Aph. 5. ſect. 3.
(c) Aphor. 17.

Digitized by Google

gnitie conquerebantur. Quidam capitis gravitatem accuſabant, aut dolorem. Alii mentis obtuſitatem perſentiebant, ſolutam alvum plurimos habuiſſe ſupra animadverſum eſt. Pulſus fere erant oppreſſi & tardi; ita ut ſanguinis circulatio magna ex parte tarda & languida videretur. Conſtans alia obſervatio extitit, omnes, quibus vel efficacis curationis, vel conſervandae valetudinis cauſſa ſanguinis miſſio edicebatur, dediſſe ſanguinem craſſum, atrum, & facile in viſcidam maſſam concreſcentem.

§. XXVIII. En ergo prima ad morbum diſpoſitio. Verum ſupra ex Hippocrate & Celſo excerpta nos docent, non modo mutationes anni temporum maxime morbos parere: ſed in ipſis temporibus magnas mutationes aut frigoris, aut caloris ad morborum generationem maxime conferre. Re vera non levis extitit illa, quae vere anni 1764. ineunte oborta eſt. Naturalis tempeſtatum curſus fert, ut ab aequinoctio verno ad ſolſtitium aeſtivum, ſive ab Ariete procedente ſole ad cancrum, Atmoſphaera paullatim incaleſcat. At ex ſupra expoſitis martio, & aprile vertentibus intempeſtivum frigus obortum eſt. Quid hoc neceſſario producere

Digitized by Google

re debuit, facile ex phyſicis, atque Sanctorii, Dodartii Keilii, & Gorterii obſervationibus colligi poteſt.

§. XXIX. Frigus intempeſtivum ac intenſum, praeſertim humidum, corpori adplicatum non modo humores valde inſpiſſat, minimoſque meatus obſtruit; ſed & humiditate fibrarum tonum relaxando, univerſum humorum curſum retardat; & ſic tranſpiratione inſenſibili diminuta & copiam & impuritatem humoribus adjicit, qui vel in cute ficti, vel ad interiora determinati, juxta illud Hippocratis: *cutis denſitas*, *alvi laxitas*, rheumatiſmum, diarrhaeas, alioſque internos morbos pariunt. Quamnam in morborum generatione partem habeat inſenſibilis perſpiratio diminuta vel prorſus impedita, novit & ipſe Hippocrates; ideoque ſic ediſſerit (*a*) *quidquid ab excretione* (cuticulari, ut ſapienter legit Cl. Hoffmannus) *intus remanſerit*, *non ſolum corpori laborem exhibet*, *ſed etiam ei parti*, *quae humiditatem ſuſcepit; non enim commoda eſt corpori*, *ſed infeſta; circuitum enim non habens materia quieſcens calefit tum ipſa*, *tum quae allabuntur*, *& inde totum concaleſcit corpus*, *et febris fortis induci-*

(a) Libr. II. de diaeta.

citur; & Galenus paſſim in ſcriptis ſuis prodit: *a libero tranſpiratu impedito et febres fieri, et ſuccos corrumpi*. Et Sanctorius, qui primus hanc inſignem excretionem ad calculum revocavit, & incredibilem triginta annorum laborem ac innumerabiles obſervationes in unum paucarum paginarum libellum contraxit, dum ſingula experimenta in paucas & univerſales regulas, quae nullam exceptionem admitterent, collegit, ita loquitur (*a*) *ſi ex ſtatico deprehendatur impeditam eſſe perſpirationem, diebus ſequentibus vel ſuccedet plenior perſpiratio, vel alia ſenſibilis evacuatio, vel cachexia, vel febris;* & alibi *perſpiratione diminuta corpus in multis deficit*, & *n.* 42. *prima ſemina morbi ex mutata perſpiratione cognoſcuntur*, & *n.* 43. *conſuetum perſpirabile retentum ſi non in lotium, vel ſudorem faceſſit, indicat futuram putredinem;* & n. 46. *febrim malignam*. Et Cl. Boerhaavius de impedita tranſpiratione loquens, inquit (*b*) *ſi vero parcior eſt, vel ſublata facit extremae cutis vaſcula ſiccari, emori; hinc & majora obſtrui arefacta; mutatur hinc circulatio; retinetur acre, oritur putredo, cruditas, febris,* in-

(a) Med. Stat. Sect. 1.
(b) Praelect. Acad. tom. VII.

inflammatio , *apoſtema* . En quomodo intempeſtiva frigoris acceſſio morbi ſemina jam orta auxit.

CAPUT IV.

De victus ratione, *altera morbi cauſſa*.

§. XXX. Etſi ex hactenus adductis late conſtet, quid aër ad morbi generationem influxerit: tamen non unica ſimplices etiam morbos cauſſa producit; ſed fere ex plurium concurſu morbi fiunt. Monuit id adverſus Eraſiſtratum Cornelius Celſus, inquiens (*a*) *quod ſi contemplationem rerum naturae . . . . . . ſatis comprehendiſſet; etiam illud ſciſſet, nihil omnino ob unam cauſſam fieri, ſed id pro cauſſa apprehendi, quod contuliſſe plurimum videtur. Poteſt autem id, dum ſolum eſt, non movere, quod junctum aliis maxime movet*. Et Cl. Boerhaavius de proxima morbi cauſſa loquens, ſic explicatur (*b*) *cauſſa proxima morbi appellatur tota illa ſimul, quae totum jam jam praeſentem immediate conſtituit:*

(a) In praefatione.
(b) Praelect. Acad. T. VII.

Digitized by Google

tuit: cujus propoſitionis ſenſum pluribus exemplis explicat; & vulgarem de cauſſis remotis doctrinam rejiciens, inquit: *ex concurſu cauſſarum remotarum fit cauſſa proxima morbi: conditiones morboſae ſeorſim cauſſae dicuntur, conjunctae vero morbus*. Inquirendum ergo nobis eſt, praeter aëris conſtitutionem jam expoſitam, quaenam alia cauſſa ad morbi productionem plurimum contulerit.

§. XXXI. Et ſi Celſo docente (*a*) rationalis medicina ab evidentibus cauſſis inſtrui debet; *evidentes vero has appellant, in quibus quaerunt initium morbi calor attulerit, an frigus: fames an ſatietas: & quae ſimilia ſunt:* videtur fames, & ſatietas, ac peſſima victus ratio morbo jam jam orituro maximas ſuppetias dediſſe. Ecquis poſſet ea, qua decet diligentia, omnia, quae fames, quae mala alimentorum ratio, quae ipſa ſatietas produxerunt, exponere? tamen ea, qua fieri poterit ſolertia, producere conabimur. Et ut ordine aliquo in hiſce enucleandis progrediamur, primo de nimia fame ſive inedia dicemus. Hippocrates acute ſatis monuit (*b*) *famem magnam*

(d) In praefatione.
(e) Lib. de veteri Med. §. 15.

gnam potentiam habere in naturam hominis, ipſum ſanandi debilitandi, & occidendi. Et Cl. Boerhaavius, qui more ſuo plurima & ſapienter de morbis ex alimentorum defectu oriundis produxit (*a*) ex ipſo Hippocrate advertit, *abſtinentiam nimiam pejores morbos creare, quam nimiam repletionem, & longe difficilius ſanari poſſe prioris, quam poſterioris vitia*. Hippocrates enim jam docuerat (*b*): *In tenui victu delinquunt aegri, ob id magis laeduntur: omne enim delictum, quod committitur, multo majus fit (in tenui) quam in paullo pleniore victu. Propterea etiam ſanis periculoſus eſt valde tenuis & conſtitutus, & exquiſitus victus; quia delicta gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis & exquiſitus victus periculoſus magis, quam paulo plenior:* utique non eadem facilitate, qua inedia extenuatur, repleri poteſt corpus. Inedia, ut laudatus modo Boerhaavius monet velut mera privatio per ſe nihil efficit. Verum ipſum vitae exercitium machinam deſtruit. Actiones enim vitae corporis partes atterendo, & adtenuando deſtruunt, ſubtiliſſima diſſlant, caetera inſpiſſantur: perenni adtritu olea & ſales volati-

(a) Praelect. Acad. tom. VII.
(b) Aphor. 5. ſect. 1.

tilia & acria reddita, tenerrima vaſcula corrodunt, reſolvunt, totumque corpus ad putredinem diſponunt. Monuit id etiam celeberrimus Tſchirnhaus cum ſcripſit (*a*), *inediam in toto corpore putredinem facere:* hinc inedia diu fatigatis foetet urina, ſudor, & anima, eoque olidior redditur, quo jejunium diutius toleratum eſt.

§. XXXII. Quamquam ab inedia diu tolerata corpori non contemnibile detrimentum accedat; ejuſdem tamen partes, quae primo maximeque laeduntur, viſcera naturalia videntur. Prima famis ſedes nullo negante in ventriculo reſidet. Verum fortaſſe ad ejus ſenſationem excitandam alia viſcera concurrunt, praeſertim hepar bile ſua. Conſtans utique celeberrimi du Verney obſervatio docet, in hyſtricibus ductum choledocum in duos ramos dividi; & uno in inteſtina, ſive ad finem duodeni bilis partem effundere; alio recta ad ventriculum pergere, aliamque ejuſdem liquoris partem deponere: quae non ad digeſtionem tantum, ſed ad excitandum quoque famis ſenſum concurrere videtur: in praxi utique obſervare licuit, plurimos ira vel quacumque cholerica paſſione agitatos, ſumma fame vexatos

F fuiſ-

(a) Lib. de med. mentis & corporis.

fuiſſe. Et Galenus refert de quodam viro quadrati temperamenti, qui mire devorabat, probeque digerebat, cujus corpus, poſt fatum cultro anatomico commiſſum, ductum choledocum recta in ventriculum bilem adſportantem dedit: ſive tamen a bile nerveam ventriculi tunicam fodicante, ut non inepta conjectura ſuadere videmur, ſive ab ſimplici & mutua ejuſdem membranae attritione, ut plurimis placet, famis ſenſus excitetur, quoties ciborum abſumptione non expletur; quoniam ad eum excitandum vaſtiſſimi adeoque ſenſiles dati ſunt nervi, ut ob eam ſenſilitatem aliqui animam in ventriculo habitare putaverint: increſcente attritione, vel bilis copia ad ciborum digeſtionem eo fluente, nec cibos inveniente, neceſſario oritur, ut quas adverſus cibaria exercere debebat vires, contra ventriculi, inteſtinorumque nervos exerat, illoſque irritet, mireque convellat; unde nauſea, vomitus, cardialgia, ſive immanis ille dolor oritur, qui patientes ad animi deliquium fere perducit; & inferne murmura, borborygmos, diarrhaeas, dyſenterias, & convulſo ſimul diaphragmate, ſingultum aliaſve convulſivas affectiones parit, ut frequentiſſime obſervare ſolemus in iis, qui vel im-

immodica ira vexantur, vel praeter morem jejunum diu tolerarunt. Imo conjicere datur, bilis acrimoniam ciborum defectu increſcere. Quoties enim hepar deſtituitur humida & rorida ciborum parte, quae per venas meſeraicas reſorpta ad ipſum immediate fertur, neceſſario quae ſecernitur bilis, acrior eſſe debet, unde indicatos morboſos effectus tanto violentiores producere debet. Sunt haec morboſa effecta, quae in corpore ſano fames diu tolerata producere valet. Verum peſſima ciborum qualitate expleta, morborum atque ſymptomatum ſeries diverſa nimis, & violentior exoritur. Ecquis neſcit famelicos noſtros carybdim evitare conantes in ſcyllam incidiſſe? Ut famis moleſtiam effugerent inſolita quaeque, & peſſimae indolis panem ingurgitarunt, & mirum ac inſolitum morbum ſibi attulerunt.

§. XXXIII. Quoniam Celſo docente (*a*) *Plus alimenti eſt in pane, quam in ullo alio cibo:* ideo inter innumera paene alimentorum genera panis principem locum ſibi vindicare, humanoque generi acceptiſſimus adeo cibus videtur; ut ubique terrarum totius nutritionis fundamentum conſti-

F 2 tuat:

(a) Lib. 11. cap. 18.

Digitized by Google

tuat: nec facile eo abſque ſanitatis detrimento carere poſſe videmus. Ejus uſus omni tempore, aetati, & temperamento accomodatus reperitur; ideoque non immerito univerſale alimentum vocari poteſt. Verum ubi a naturali ſalubritate recedit, prae caeteris pandemios morbos procreare maxime valet: univerſalitate enim ſua omnes involvit, & laedit.

§. XXXIV. Pluribus autem de cauſſis adeo univerſale humanoque generi acceptum alimentum inſalubre, imo internecivum evadere poteſt: vel cum in ejus confectione alienigena, & inſalubria ſemina, vel cum corruptum frumentum adhibentur: vel cum inſolita optimo licet tritico, ab ejuſque natura omnimode aliena, miſcentur. Sunt utique inter frumentacea eſculenta certi generis venena ſummae ad laedendum, atque necandum efficaciae; & inter haec temulentum lolium, ac ſecale corniculare nigrum Epidemicorum morborum haud infrequentes cauſſae ſunt. Ex frugibus ſideratis, aerugine, quae ſegetum peſtis eſt, obductis ſecali corrupto, & lolio temulento infecto in Germania originem ſuam traxiſſe epidemicos quoſdam morbos teſtis eſt

eſt Cl. Hoffmannus (*a*); imo advertit peculiarem tractatum extare a Facultate Medica Marpurgenſi an. 1597. editum, in quo peculiaris morbus deſcribitur valde ſpaſmodico-convulſivus ab ſecali corrupto & nigro cum pane miſto, & calide maxime comeſto productus, qui tunc temporis univerſam Haſſiam aliaſque vicinas regiones afflixit; quique an. 1648., 1649., & 1645. in voitlandia graves edidit ſtrages; & redivivus ex eadem cauſſa an. 1717 in Miſnia, & in Luſatia graviſſime deſaeviit; quemque copioſe ac ſolide dominus de Gottlieb Buddeus deſcripſit.

§. XXXV. Non levis utique momenti ſunt morboſa ſymptomata, quae duo modo indicata excitare ſolent. Lolium enim cephalalgiam, vehementem vertiginem, genuum tabeſcentiam, in quibuſdam delirium, & temulentiam quandam producit; videturque capiti maxime infeſtum ob narcoticam, quam alit virtutem, quae exinde patet, quod vertiginem ac torporem celerrime infert, ſi in pane comedatur. Majoris virulentiae videtur ſecale corruptum. Symptomata enim, quibus infeſtum eſt graviſſima ſunt, & ex vehementibus univerſi generis nervoſi ſpa-
ſmis

(a) Medic. Syſt. de differ. morb. ration.

ſmis, et hos ſubſequente atonia ac ſumma cerebri debilitate deducenda: putatque Cl. Hoffmannus hujus corrupti ſecalis grana venenato ſubtili cauſtico ſali ſulphuri viſcoſo inhaerenti debere, quod peculiari ratione in nervoſas partes graſſatur, ſaevitiamque ſuam exerceat. Neque veteribus ipſis hujuſmodi novae ex inſalubribus et venenatis frugibus oriundae ignotae videntur. Quoniam Galenus prodidit (*a*), quod ſemina alienigena, et praeſertim lolium, et durum rotundumque aracum, quae non eſculenta ſunt, item nigrum triticum ex tritici mutatione generatum, quod lolio adhuc pejus eſt, deprehendantur, quae comeſta et capitis dolorem, et ulcera prava in cute inducant; hinc ſuadet, ut omnes piſtores, et qui populo publice inſerviunt frumentum probe cribris expurgent, et prava ſemina ſeligant. O utinam id effeciſſent piſtores noſtri: aut ſaltim pejora non admiſcuiſſent, inauditaque malitia morbi vires non auxiſſent, ſed progrediamur ultra.

§. XXXVI. Neſcio an quod ſideratum importatum frumentum obnoxium fuerit; an quod re vera alienigena, et venenata ſemina admixta ſe-

(a) Lib. I. de Alim. facult. cap. 37.

ſerebat. Non enim datum fuit mihi illud examinare. Scio tamen innumeris aliis modis et morbos, et mortem ipſam inferre. Optimum licet triticum, ſi priuſquam fermentationem paſſum fuerit, ut flatulentiam, ſive miram elaſtici aëris generandi facultatem a Cl. Boyleo detectam deponat, ingeratur, maxime nocere valet. Galenus utique de ſe ipſo narrat (*a*) quod cum procul ab urbe cum binis adoleſcentibus coaetaneis rus profectus eſſet, nihilque quod comederet, inveniſſet, triticum coctum, ſale mediocri conditum eſuriens avide ſumpſit; mox deinde pondus in ventriculo ſenſit, et ſequenti die, omnem cibum faſtidiebat, flatus moleſti aderant, caput dolebat, et caligabant oculi; neque alvo quidquam excernebat. Similia omnino mala et comites ejus patiebantur. Tritici enim crudi non fermentati tenax gluten non poterat digeri, moveri, nec excerni in juvenilibus his corporibus; imo et ruſtici fatebantur, quod dum neceſsitate coacti hoc aſſumpſerant, grave et concoctu difficile edulium, fuiſſent experti, et Cl. Swietenius monet (*b*) ſaepe obſerva-

(a) Libr. I. Cap. VII. de Niment. facultat.
(b) In comm. in aph. Boerh. §. 586.

vari, infantibus, quos parentes inopia preſsi crudis farinoſis non bene fermentatis quotidie nutriunt, tumere abdomen infarctum indigeſtibili tali cibo, alvum tardam eſſe, et lentam continuam febrim depaſcere, tandemque in diarrhaeam, et dyſenteriam incidere, et mori; ut innumeras magiſque obvias ſimiles obſervationes ſilentio comprimamus. Hoc noxae genus apud nos locum obtinuiſſe, non modo ſymptomatum analogia ſuadere poſſet; ſed ex ipſa panis qualitate colligi quoque poteſt: vidimus enim hunc ponderoſum, male fermentatum, ac prorſus incoctum.

§. XXXVII. Verum praeter expoſita, pejora ſunt noxae genera, quae ex tritico optimae quamvis indolis, malo tamen regimine putrefacto oriuntur. Conſtans utique obſervatio docet, optimum licet frumentum, ſed locis clauſis conſervatum, adeo lethales ſpiritus exhalare, ut animalia iis afflata ſtatim intereant; non ſecuſac in crypta canina, lapicidina pyrmontana, puteo in inſula vecti, aliiſque ſimilibus locis accidere naturalis hiſtoria docet: triſtibus exemplis didicerunt id apuli ruſtici; ideoque numquam quoties neceſsitas urget in foveas, quibus tri-

Digitized by Google

triticum adſervatur, deſcendunt; ſed reſeratis fovearum oſculis ſinunt prius venenatos vapores diſpergi, deinde triticum educunt.

§. XXXVIII. Quod ſi in locis non ſatis frigidis conſervatur frumentum, aut ex aliquo temporis intervallo, ut ventiletur, non volutatur; tunc agente calore, fermentativus et inteſtinus motus incipit ejus elementa, ex oleoſis et acidis partibus compoſita, in ſpiritum inflammabilem reſolvere: unde ex hujuſmodi tritico confectus panis potentiſsimum venenum evadit. Panem etiam optimum, ſpiritum acidulum oleoſum, magnam olei inflammabilis copiam, nec non terram fixam continere chymica analyſis docet (*a*); & ſana philoſophia monet in putredine, ſubſidente terra fixa, duas priores ſubſtantias exaltari, & corroſivam acrimoniam producere. Hoc vitii genus in noſtro tritico maxime locum habuiſſe, nulli fortaſſe dubium: experti enim ſumus panem non modo incoctum, & parum fermentatum, ſed amarum, ac peſſime olentem.

§. XXXIX. Quantum autem mali ex tritico putrefacto corporibus humanis accedere poſſit, noverunt majores noſtri; qui ipſos etiam hali-

(a) Hoffinan. lib. II. obſerv. Phyſicar. num. XXII.

tus ex putrido tritico exhalantes externeque tantum corporibus applicatos abſolute lethales exiſtimarunt. Ecquis Eruditorum neſcit quanta eloquentia, quantoque argumentorum pondere, agitata fuit olim in ſacro collaterali conſilio lis de ableganda ab urbe pulveris cyprii fabrica? Notum eſt utique, ſapientiſſimos medicos, & numquam ſatis laudandos juris peritos eruditiſſimis ſcriptis luce meridiana clarius omnibus oſtendiſſe, ex tritici in aqua maceratione & putrefactione, quae neceſſario ad ejus confectionem requiritur, peſſimis halitibus adeo aërem inquinari, ut reſpirationi ineptus, ac vitae omnimode infenſus evadat; unde rei veritate probe intellecta, plenis ſuffragiis ab urbe pulveris cyprii fabrica ablegata fuit.

§. XL. Si tantum pertimuerunt prudentiſſimi viri ex halitibus tritici putrefacti externe corporibus humanis applicatis. Quid nobis conjiciendum erit de pane ex tritico putrido confecto & interne ingeſto? quid inquam, niſi ſuccorum omnium primarum viarum putredines, bilis nempe, ſucci gaſtrici, pancreatici, inteſtinalis, & deinde totius maſſae ſanguineae? niſi fodicationes miras plexuum omnium nervoſorum viſcerum

rum imi ventris? Confirmant conjecturas haſce vomitus putridi, & bilioſi obſervati, ſimileſque per alvum egeſtiones in omnibus paene: demonſtrant ructus, ventris inflationes, ſingultus, convulſiones in viſceribus, & tandem per totum corpus propagatae. Quae quidem omnia perditorum nonnullorum execranda malitia in immenſum auxit admiſcendo, ut ſupra indicavimus cineres, marmorum pulveres, aliaque pejoris indolis tacenda potius; tamquam ſi enarrata naturalia frumenti, & panis vitia ad morbum producendum non ſatis fuiſſent. *Auri ſacra fames quid non mortalia pectora cogis!*

§. XLI. Nec detrimenti minus adtuliſſe videtur ſatietas, quae ubertate reſtituta, inediam ſubſequuta eſt. Noverunt id veteres quoque; ideoque Celſus ſcripſit (*a*), *ubi ad cibum ventum eſt, numquam utilis eſt nimia ſatietas*; & alibi (*b*), *neque vero ex multa fame nimia ſatietas . . . . . idonea eſt*. Hippocrates autem generaliori ditione, majorique fortaſſe dignitate ſtatuit (*c*), *omne nimium naturae inimicum*; & paullo ante animad-

(a) Cap. 2. lib. 1.
(b) Capit. 3. lib. 1.
(c) Aph. 51. ſect. 2.

madverterat (*a*): *Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam bonum eſt, quod naturae modum excedat*. Et plures poſt inediam nimis fortiter paſtos, mortem ſibi acceleraſſe teſtis eſt Foreſtus, inquiens (*b*), *nota eſt multorum hiſtoria, qui a longa inedia ſe ſe repleverunt, adeo ut inde ſuffocati fuerint, uti nos cognovimus in obſidione Harlemenſi, & Leidana id praecipue contigiſſe, quando obſidione liberati cives, victu pleniori ſe replentes, mortem quamplurimi incurrerunt, nec ignotum eſt denique, milites ex caſtris in hyberna ſecedentes liberaliter paſtos, ex corruptela ciborum in debili admodum corpore in febres peſſimi moris ſtomachicas, & caput validiſſime afficientes incidiſſe*. Nimia ſatietas, aut repletio apud noſtrates, qui ob inediam debilitati erant, primaſque vias putredine obſeſſas gerebant, nonniſi ſummo periculo juncta eſſe poterat. Omne enim, quod ingerebatur, putreſcebat juxta tritum illud, quod tangitur a putri putreſcit.

CA-

(a) Aphor. 4. ſect. 2.
(b) Lib. 18. obſ. 2. in ſchol.

Digitized by Google

CAPUT V.

De animi affectibus, altero morbi fonte.

§. XLII. QUoniam non mechanico tantum fluidorum & ſolidorum motu; ſed animi quoque actione humana regitur machina; ideo expendendum nobis adhuc ſupereſt: an ad morbi, cujus hiſtoriam teximus, procreationem aliquid contulerit animus. Incertum an mera & ſimplex cogitatio, ſive rerum contemplatio machinam mutandi vim aliquam habeat. Nulli tamen dubium, rerum contemplationi utplurimum perceptionem boni vel mali ſuccedere. Verum ita natura ſumus comparati, ut ex boni vel mali perceptione ſtatim voluntas ad apprehenſionem boni, & ad averſionem mali determinetur. Quoties autem animus in aliqua idea, ſenſu boni motus, retinenda ſibi complacet; toties pro diverſitate corporei vel moralis ſenſus, voluptas vel laetitia eſt. Quoties vero placentem nobis imaginem ad cauſſam ejus referimus; toties velimus, nolimus, cogimur eam amare, ſive optamus exiſtere, unitam-

tamque nobis manere. Sed is amor eſt: unde intelligitur tritum illud Ovidii *Mars videt, viſamque cupit*. Viciſſim quoties animus, ſenſu mali commotus, in retinenda aliqua idea, ſibi diſplicet; toties triſtitiae, & doloris ſenſus oritur: cumque impoſſibile ſit menti noſtrae, cum grato ſenſu rem ingratam cogitare; ideo triſtitiae cauſſam de rerum natura extirpari volumus, ut & a nobis abſit, & numquam cogitari poſſit: ſed tunc odium eſt. En omnium adfectuum animi radices primae. Reliquae enim animi adfectiones vel amoris, vel odii gradus pro praeſenti, praeterito, & futuro, pluribus annuentibus ſunt. Dum haec in animo geruntur, ineffabili animi cum corpore unionis lege, in hoc commotiones excitantur animi determinationibus conſpirantes, quibus corpus tentat amatas, vel odio habitas res, aut proprias efficere, aut omni molimine avertere. Quanta non vi, ut Cl. Boerhaavii conceptibus utar, ſi pater filium in aquam prolabi viderit, quanta inquam, non vi etiam injuſſi muſculi concitantur, ut caram animam aquae, fatoque eripiant. In ſumma ira ſubito incaleſcimus, ſtatimque cogitata protelat lingua, irae miniſtra Euripidi dicta. Sic Achilles iratus Agamen-

mennoni, lingua primo & conviciis, deinde minaci geſtu, quum arma manu raperet, dolorem teſtatus eſt. Neque mora eſt, quin totum corpus rapidis & convulſivis agitetur motibus, qui omnes tendunt ad deſtructionem rei ingratae.

§. XLIII. Affectiones haſce, quae utplurimum rationi non ſubjiciuntur (*a*) ſumma violentia corpus concutere, & morbis, & ſummo fato op-

(a) Videtur utique harum reſpectu anima maxima parte a corpore regi, & invita licet in contrarium ſenſum rapi; & hoc ipſum fortaſſe ſignificare voluit clementiſſimus ſervator noſter, cum diſcipulos monuit vigilare, & orare, ut tentationem effugerent; quia ſpiritus promptus, caro vero infirma erat (*). Noverunt id quoque ethnici, & doluerunt atque damnarunt: unde Ovidius ſcripſit.

. . . . *Video meliora proboque*
Deteriora ſequor

Et Catullus ad Lesbiam inquit.

Odi, & amo, quare id faciam fortaſſe requiris?
Neſcio: ſed fieri ſentio, & excrucior.

Neque abſimile huic deprehenditur alterum tritum illud

Non amo Te, Voluſi, nec poſſum dicere quare
Hoc unum poſſum dicere; non amo Te

Qui-

(*) *Evag. Matth. cap.* XXVI. 41..

opprimere poſſe, adeo manifeſtum eſt, ut nova demonſtratione minime indigere videatur. Ecquis incultus etiam pro diverſa affectuum animi, quibus agitatur, natura, non ſentit involuntarias etiam corporique noxias commotiones? In ira incaleſcere, & convelli; in timore refrigerari, & tremere; in triſtitia inertem fieri; in laetitia, & amore ſuaviter incaleſcere, & agitari, ecquis non ſentit? Pluribus haec explanare poſſemus; verum hic de uberrima, atque amoe-

Quibus omnibus dignitate fortaſſe non cedit illud Petrarcae.

Che colla morte a lato,
Cerco del viver mio nuovo conſiglio
E veggo il meglio, ed al peggior mi appiglio

Hinc appoſite lepidus morum irriſor, & caſtigator ſeverus Horatius ad Moechum.

Evaſti? credo metues, doctuſque cavebis:
Quaeres, quando iterum paveas, iterumque perire.
Poſſis. O toties ſervus! quae bellua ruptis
Cum ſemel effugit, reddit ſe prava catenis?

Hinc dominare depravatis cupidinibus, & mentis immortalis ratiocinio reſiſtere libidinibus ſemper fuit & ſummum habitum inter cenſores, philoſophos, & morum caſtigatores, fortitudinis, & virtutis donum: etenim

Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Moenia.

Digitized by Google

amoeniſſima affectuum animi doctrina dicere inſtituti noſtri non eſt. Sed tantum quinam praecipue in morbi noſtri generatione locum habuerint, quidque produxerint, in apricum deducere, eſt animus.

§. XLIV. Si ad mentem infauſtum illud temporis intervallum revocemus, quo vel penuria, vel morbus ipſe deſaeviit, intelligere admodum difficile non erit, inter affectus animi, iram praeſertim, timorem, & triſtitiam tunc temporis dominatum obtinuiſſe. Difficultas panem ſibi comparandi aliquando iram, aliquando metum excitabat. Conſideratio mali praeſentis vel futuri profunda triſtitia proſternebat omnes. Morbo enim ſaeviente florentiſſima licet urbs nonniſi luctus ac gemitus ubique reſonabat; ita ut de hac multo verius ſcribi poſſet, quod emphatice triſtis Ovidius ſcripſerat de domo ſua

Quocunque aſpiceres luctus gemituſque ſonabant
Formaque non taciti funeris intus erat
Foemina virque ſuo, pueri quoque funere moerent
Inque domo lacrymas angulus omnis habet.

§. XLV. Antequam vero ad praecipuas affectuum animi, ad nos pertinentium, vires expla-

Digitized by Google

nandas accedamus, monendum primo cenſemus: quod quamvis ignotum ſit, maneatque per aevum, quomodo animus in corpus vires ſuas transfundat; tamen notiſſimum ſit, affectus utplurimum omnes non totum corpus tantummodo commovere, ſimulque mutare; ſed ſpeciali modo pro diverſitate ſua praecipuas machinas afficere; ſicut & pro diverſa mechanica machinarum corporis affectione diverſi animi affectus exoriuntur: adeo elegans omnique ex parte abſolutus eſt animi cum corpore conſenſus! Univerſalis, & ſpecialis hujuſmodi animi cum corpore harmonia adeo manifeſta eſt, ut nullos fugerit unquam: ideoque prudens & oculata antiquitas ſcripſit

Cor ardet, pulmo loquitur, fel commovet iras
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Revera conſtanti docemur experientia, ventriculo vacuefacto, ejuſque interna nervea membrana praecipuo modo attrita, famis ſenſum in animo excitari: et anima aliquo ciborum genere proritata, ventriculum affici: venereo appetitu ſpiritu agitato, corporis machinas eidem veneri dicatas ſenſibiliter moveri; & ſemine in conceptaculis ſuis turgente aut moto, non modo venereum appetitum in vigilantibus, ſed & in dormientibus quo-

quoque venerea inſomnia excitari. Recte ergo pronunciatum legimus: *una eademque via ſanguis animuſque feruntur*. Et Galenus monuit, *ſicut valet corpus, ita & ſpiritus*. Verum ne in hiſce enucleandis ab inſtituto noſtro nimium divagemur, caetera omittimus; & primo quid ira conferre potuiſſet, videamus.

§. XLVI. Si attento animo ira deprehenſos conſideremus, videmus utique eo affectu, vehementi partium nerveo-muſculoſarum contractione, cordis ſyſtolem, eique adnexorum vaſorum tonum, partiumque omnium fibroſarum mirifice adaugeri in univerſo corpore, totumque ſolidorum ſyſtema, ac humorum maſſam celerrime commoveri; ita ut non inepte ira parva febris, inſania, ac momentanea epilepſia veteribus dicta fuerit. Veritatis hujuſce luculentum teſtimonium praebent auctus cordis motus, pulſus intenſio, reſpiratio concitatior, ſitis, calor, inflatio, & rubor faciei, arteriarum capitis praeſertim circa tempora major pulſatio, & intumeſcentia, oculorum ferocia, tremor extremarum partium, & actionum mentis praecipitantia, quae ira ſemel accenſa hominem agitant, ac deturpant. Quoniam autem animi impetus, ex affecto corpore obſer-

vandos, pulchre exhibere, ut in pictoribus, ita eoſdem rite deſcribere, laudatur in poëtis; ideo Homerus, qui tam maſcule in omnibus naturam expreſſit, ſtatum corporeum diverſum in mentis perturbatione graphice exhibet : de ira ſic loquitur

Αχύμενος μένεος δὲ μέγα φρενες αμφιμελαιναι
Πεμπλαντ' οσσε δέ οἱ πυροὶ λαμπετόωντι ἔικην

Ægre ferens adeo, ut praecordia ſanguine plena
Utque micent oculi ſubito, velut ignea lampas

Et de Achille, quem ad conſpectum armorum, quae Thetis adtulerat, ira ſubierat, ſic ſcribit *oculi terribiliter ſub palpebris, tamquam jubar apparebant:* quod paſſim de ira exhibet. In Agamennone lucebant oculi ignis iſtar, mens caligine confuſa erat, objurgante calchantem ob Chriſëidem petitam. Achilles Ajaci ſuadenti reditum reſpondet Αλλα μοι οιδανεται κραδιη χόλω, *ſed mihi cor tumeſcit ira*; ideoque praeceptor amorum puellis ſuadet, ne facile iraſcantur; quia animi hic impetus formae noxius nimis exiſtit.

Pertinet ad faciem rapidos compeſcere mores
Candida pax homines, trux decet ira feras
Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venae
Lumina gorgonio ſaevius angue micant.

§. XLVII.

§. XLVII. Praeter univerſalem hanc commotionem, qua corpus omne concutitur, pluribus advertentibus, ira ſpaſmodica partium, qua agit, ſtrictura, vim ſuam imprimis in ventriculum & inteſtina, ceu partes valde nervoſas & membranaceas exquiſitiſſimi ſenſus & motus, exerit, & facile inflammationem periculoſam, imo lethalem efficit. Agit inſuper iracundiae affectus in cerebri membranas, aliaque viſcera: ubi enim ſanguis irae impetu celerrime ad partes pulſus regredi nequit, in iis periculoſiſſimas efficit inflammationes. Sed nullibi magis peculiarem vim exercet ira, quam in hepatis ſubſtantiam, ejuſque bilioſos ductus; adeo ut eorum fortiori ſtrictura facile hepar ſcirrhoſum evadat; imo calculi in cyſtide, ac ductibus biliariis generentur; quia hac ratione liber motus, ac bilis effluxus impeditur. Producitur hoc praecipue ab peſſimae indolis ira, quae cum triſtitia, et metu conjungitur, ubi vidicandi occaſio, aut facultas deeſt. Propter horum ductuum quoque conſtrictionem icterus fit, qui facile in veſicae biliariae calculos deſinit, quemadmodum id ex ſectionibus cadaverum eorum, qui ictero demortui ſunt, adparet.

§. XLVIII.

§. XLVIII. diverſa tamen ſunt phaenomena, quando bilis ab irae affectu vehementius commovetur, et copioſe ex ductibus biliariis et cyſticis ad duodenum, et ventriculum effunditur. Ex ejus enim ibidem facta ſtagnatione, et concepta ob diuturniorem moram acredine, nauſea, vomitiones, diarrhaeae, cholericae paſſiones, cephalagiae, anxietates, febres bilioſae continuae, & intermittentes excitantur. Hinc intelligitur peculiare illud iracundorum ſymptoma, quod in latere dextro ſub ſcrobiculo cordis ſentiant dolorem quemdam conſtrictivum, in ore autem amarorem: originem ſuam haec pathemata non aliunde ducunt, quam a motu bilis, ejuſque in inteſtina impetuoſiori effuſione.

§. XLIX. Quam bene ab ira orientia ſymptomata nobiſque hactenus expoſita aegris noſtris conveniant, experti noverunt ipſi, noverunt aſſidentes, & omnium maxime clinici Medici, qui in omnibus paene vomitus bilioſos, ſimiles per alvum egeſtiones, ventris inflationes, & tormina, cardialgias, ſingultus, anxietates, icterum obſervarunt. Confirmarunt idem Anatomicae ſectiones, quae in omnibus fere exhibuerunt bilis copiam in cyſtide, hepatis ſub-

ſtan-

Digitized by Google

ſtantia, ac primis viis collectam; & aliquando ipſum hepar vel in tota, vel in aliqua ſuae extenſionis parte inflammatum: ſed progrediamur ulterius.

§. L. Ab ira paulo diverſe procedit timor. Timoris, & terroris effectus videtur ſpaſmodica externarum partium conſtrictio, qua ſanguis non a centro, ut in ira, ad circumferentiam; ſed potius a circumferentia ad centrum propellitur: unde omnis generis excretiones ſupprimuntur; ideoque corpora ad morbos maxime diſponit, qui ab ex excretionibus ſanguinis ſufflaminatis, ejuſque ad interiora regurgitatione proveniunt. Confirmat hoc conſtans obſervatio, quod a ſubito, & vehementi terrore ſtatim externus corporis habitus conſtringitur, unde vaſa detumeſcunt venis vel minimis, vel plane nullis apparentibus, facies pallorem contrahit, & partes externae refrigerantur, & contremiſcunt; ideoque Homerus frigidum & pallidum exhibet: χλωροὶ ὑπαὶ δείους, *pallidi prae metu*, & χλωρὸν δέος ᾕρει, *pallidus metus corripiebat*; & Paridem pugnam evitare conantem pallidum, & corde palpitantem ſic deſcribit

Tre-

ὑπὸ τὲ τρόμος ἔλλαβε γυῖα
Αψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρος τέ μιν εἷλε παρειὰς
Tremorque occupavit membra
Retroque ſeceſſit, & pallor ipſum cepit in genis

& Andromachen adventu Æneae in Epirum perterrita ſic Virgilio deſcribitur (*a*)

Magnis exterrita moſtris
Diriguit viſu in medio: calor oſſa reliquit
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur

Et ad vaticinum Arpyae

Sociis ſubita gelidus formidine ſanguis
Diriguit

Et ibidem

Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comae, vox faucibus haeſit.

Et Ovidius *Abſtulerat vires corporis ipſe timor.*

§. LI. Quoniam autem terror reprimit ſanguinem ab externioribus ad corporis interiora, ejuſque motum plane inaequalem reddit, ac condenſationem promovet, Malpighio enim docente (*b*) maxima eſt timoris vis in ſanguine condenſando; ideo diverſis corporis partibus congeſtus pro diverſitate locorum, quibus inſidet, gra-

(a) Lib. III. Aneid.
(b) Obſev. de Polypo.

Digitized by Google

gravia excitat ſymptomata, ac multiplices affectiones. Sic ſi in capite ejus cogeſtio fiat, pluribus obſervantibus apoplexiae, epilepſiae, & paralyſes fiunt. In corde vero cumulatus ſanguis ejuſdem palpitationem, anxietatem, ſyncopem, lypothimiam inducit: in pulmonibus difficultatem ſpirandi, haemoptyſim, catarrhum ſuffocativum producit: in abdomine poſt terrorem vel gravem metum, flatus, & borborygmi infeſtare ſolent, qui ſaepius vel cum alvi fluxu, vel cum ejus ſtipticitate, & abdominis diſtentione terrore perculſos affligunt.

§. LII. Quod ſilentio comprimendum hic minime videtur eſt, quod quemadmodum terror corpora maxime imbecillia, quaeque bono ſanguine, & ſufficiente ejus ad partes externas influxu, deſtituta ſunt, invadere ſolet; ita in iiſdem quoque majorem violentiam exerceat. Conſtanti, ac certa experientia utique compertum eſt, quod ſi poſt largiorem haemorrhagiam, vel ſub ipſo etiam menſium fluxu; aut diuturnum morbum, vel etiam partu debilitatas foeminas invadat, ſpaſmos & flatulentias primarum viarum, quin imo multo truculentiora, non ſine magno vitae periculo, ſequi pathemata, cujus

Digitized by Google

generis ſunt animi deliquia, extremorum tremores, paralyſes &c. Quid quod nihil magis clariſſimo Hoffmanno obſervante, ex quo plurima excerpſimus, contagioſis morbis viam pandit, quam gravis terror; imo monet terrorem morbis acutis continuis praecedentem ſaeviſſima inferre ſymptomata, & ſaepius totum morbi genium immutare; ut medicus etiam peritiſſimus, niſi certus fuerit de cauſſa hac antecedente, in prognoſi ſua inſigniter fallatur; & non ſemel ſe obſervaſſe refert a terrore in cacochymicis febrem lethalem cum ſumma virium dejectione fuiſſe obortam.

§. LIII. Terroris ac metus viribus, necnon aegrorum noſtrorum praecedenti ſtatu probe cognitis, mirum ulli videri poterit, febres eos invaſiſſe ſumma virium proſtratione, animi deliquiis, ventris inflatione, ſpirandi difficultate, deliriis, aliiſque ſimilibus ſymptomatibus ſtipatas! Mirum inquam videri poterit, quod in omnibus ſanguis emiſſus coagulatus, & ater obſervatus fuerit! Nonne aegrorum phaenomena timoris effectus in corpora productos confirmant? utique: verum terroris ac timoris effectus firmavit magis moeror, qui perpetuo cordi inſidebat.

§. LIV.

Digitized by Google

§. LIV. Affectus hujuſce actio in eo praecipue conſiſtere videtur, ut paulatim tonum & robur motricibus, ac nerveis partibus ſubtrahat, ſicque corporis vires reſolvat. Colligitur id; quia quoties invaluit, pulſum reddit exilem, & lentum, appetentiam & digeſtionem dejicit, vires corporis convellit, faciem pallidam reddit, cutim flaccidam, tranſpirationem remiſſiorem, frigus in extremis inducit, ſegnitiem, ac actionum omnium impotentiam: quae quidem omnia bene ſatis deſcripſit Ovidius in Niobe (*a*)

In vultu color eſt ſine ſanguine, lumina moeſtis
Stant immota genis: nihil eſt in imagine vivum.

§. LV. Quoniam vero triſtitia, ſive moeror tonum & robur fibris motricibus ſenſim ſubtrahit, cordis motum, & ſanguinis circulum languidiorem reddit, adeoque excretiones ſufflaminat, atque vaſorum obſtructiones viſcerumque infarctus gignit; ideo difficilium morborum origo eſſe ſolet. Sed nullibi magis infeſta eſſe ſolet, quam Imi ventris viſceribus: videturque imprimis ſanguinis curſum per venae portae ramos, lienem, pancreas, & hepar ſufflaminare: tum quia haec viſcera naturali quadam toni im-

(a) Metamaph. lib. IV.

imbecillitate laborant (fibrarum enim motricium, ſive muſcularium, & nervearum elatere ſunt deſtituta) tum quia praecipue huic affectui naturali quadam conſtitutione ſunt ſubjecta. Novit id magnus Hippocrates, ideoque ſcripſit (*a*): *cura in viſceribus velut ſpina eſſe videtur, & pungere*. Et Sanctorius monuit moerentes facile obſtructiones, partis duritiem, & affectum hypochondriacum pati (*b*); & obſervationibus conſtat, morbos licet benignos & familiares, diuturna moeſtitia periculoſos, & lethales fieri.

§. LVI. Tot tantiſque de cauſſis morbida jam reddita plurimorum corpora, mutui commercii ope aliorum infectionem produxerunt, aut ſaltim morbi proruptionem accelerarunt: idque vel aërem coinquinando, vel corpora ipſa immediate contaminando, vel utroque modo agendo, effecerunt. Indubia utique res eſt, ſaniſſima etiam animalia reſpiratione aërem vitae protrahendae ineptum reddere: inſpiratum enim expiratione elaſticitate ſua aut diminutum, aut omnimode orbatum emittunt. Sic Haleſius inter caetera experi-

(a) Lib. II. de morbis.
(b) Sect. 7. aph. 3.

perimenta refert (*a*), ſe reſpirando, intra duo temporis minuta cum dimidio octodecim aëris uncias elatere ſuo privaſſe; & 522. cubicos aëris pollices pro eo tempore non ſufficere, quin reſpiratio difficilis evadat; ut hic Boylei, Synclarii, Schotti, Cheſeldeni, Muſſchenbroeckii, aliorumque obſervationes omittamus. Verum ineptiorem reddunt; quia humidis ac noxiis particulis expiratum aërem implent. Sic laudatus modo Haleſius eumdem aërem reſpiratione ſua una nona parte humiditatis gravidum redditum fuiſſe vidit (*b*); & Boyleus murem in eum aërem dimiſſum, in quo alter perierat, intra tria horae minuta periiſſe obſervavit. Si haec ſana corpora reſpiratione tantum efficere valent: quid quaeſo morbida reſpiratione, & univerſali expiratione producere poſſunt; niſi aërem ipſum putridis vaporibus, atque exhalationibus non modo ineptum, ſed vitae maxime noxium reddere, particulis illis inquinatum, cibo, inhalatione univerſali corporibus ſanis applicando? Plurima de actione affluviorum ex corporibus manantium videri poterunt apud cl. Boyleum; & varia curio-

(a) Haemaſt. p. 384.
(b) Ibidem pag. 327.

Digitized by Google

rioſitate non indigna nos quoque congeſſimus capite de diviſibilitate materiae (*a*), quae huc ſatis commode ttansferri poſſent. Plurimi enim apud nos afflatu ſolo infectorum contaminati ſunt, & extincti. Experti loquimur. In Noſocomiis, ubi pauperes aegri coacervabantur, & peſſimis halitibus aërem inquinabant, impune vivere, difficile admodum erat. Afflatu ſolo ſaniſſima etiam corpora contaminabant. Vidimus id in quamplurimis, qui morbo deprehenſi, & extincti fuerunt ſolummodo, vel quia ſtipem infectis pauperibus exhibuerunt, vel quia moribundis praeſto fuerunt.

C A P U T VI.

De cauſſis Morbi proximis, ejuſque natura.

§. LVII. DE remotis epidemici morbi cauſſis hactenus breviter enarrata nonne ejus pervicacitatem, univerſalitatem, ac phaenomenorum varietatem clare ſatis oſtendunt? utique, ni mea me fallit opinio. Verum juvat ejus naturam, & genium intimius perquirere; ut de variis medendi methodis ad uſum revocatis ſcite magis ediſ-

(a) Antinewt. p. 11.

Digitized by Google

ediſſeratur. At hoc opus, hic labor eſt. Mortalis fere morbi natura fecit, ut de Medicorum peritia, uti caeteroquin mos eſt, obmurmuraret vulgus; qua de cauſſa leves quidam corde ſaepe ſententiam ſuam mutarunt; ita ut quae ipſi tamquam optima praeſcripſerant: deinde velut maxime noxia rejicerent; & quoniam, ut probe obſervat Cl. Hoffmannus, pauci Medicorum ſunt, ſicut in aliis diſciplinis etiam, qui ſuo ſenſu, & judicio utantur; ideo aliorum, quos fallere & falli poſſe non putabant, dogmata ſervili animo ſequebantur, iiſque tamquam ad ſaxum adhaerebant; & quod maximum eſt, has opiniones obtorto quaſi collo ad morbi naturam intelligendam non ſufficientes, recteque inſtructas licet, detorquebant. Hinc factum, ut ob varias inconſtanteſque ſententias non modo de natura morbi & cauſſis, ſed nec de medendi methodo, preſcribendiſque auxiliis ante aegri lectum conveniretur umquam; & quod dicere maxime pudet, ac piget; ſed tamen veriſſimum eſt, frequentiſſime cum ſummo Artis dedecore unus alterum erroris, et damni in curatione illati arguebat, et criminabatur, idque pluribus de cauſſis, quas ſilentio comprimere ſatius erit. Vidit hoc

hoc etiam ſua aetate Hippocrates; ideoque ſcripſit (*a*) *calumniam incurrit tota ars apud vulgus adeo magnam, ut neque omnino medicinam eſſe putent. Nam in acutis morbis in tantum inter ſe differunt artifices, ut quae alter exbibet, optima eſſe putans, ea alter jam mala exiſtimet: & fere ob id artem vaticinationi ſimilem eſſe dixerint.* De hac ergo parte ſcribere, omnium voluntatem explere, nulliuſque in reprehenſionem incurrere, non modo difficile admodum eſt; ſed abſolute impoſſibile videtur. Quoniam vero non vanae gloriolae, aut lucri cauſſa, ſed bono publico ſcribimus; ideo parum refert, ſi de hoc labore male ſenſiant nonnulli. Hoc unum, ut ſciant lectores noſtri optamus, nos non fingere aut excogitare, ſed ea candide ſcribere, quae re vera repetitis ac ſedulis obſervationibus didicimus, quaeque ex iis accurato ratiocinio deduximus.

§. LVIII. Si adtento animo ergo ſupra deſcripta phaenomena perpendamus, quibus ſtipatae prodibant febres; eorum nonnulla maniſeſtiſſime oſtendunt viſcera naturalia mirifice laeſa, ac ſumma putredine obſeſſa fuiſſe. Vomitus

(a) Lib. de victu Acutor. §. 4.

tus putridae ac bilioſae materiae, ſimiles alvi egeſtiones, vermium excretiones in omnibus paene obſervatae id ſatis confirmant: omnium tamen maxime hepar affectum fuiſſe videtur; ideoque & bilis fabrica ac conſtitutio; quoniam in iis etiam, quibus ob ſanam diaetam putredo non aderat; ſemper bilis copia obſervabatur: & fortaſſe ex mutata naturali bilis indole caetera reliquorum viſcerum vitia originem trahebant. Sectiones inſuper Anatomicae notiones ex phaenomenis collectas magis confirmarunt. Aperta enim cadavera exhibuerunt in omnibus paene ventriculum, & inteſtina putredine, vermibus, & peſſimae indolis bile repleta, cyſtidem, & biliarios ductus bile turgentes, hepar turgidum, & aliquando aliqua parte inflammatum. In nonnullis gangraena in viſceribus aderat; ſed effectus praecedentium ſpaſmorum videbatur. Nulli ergo dubium, epidemici morbi focum unum in viſceribus extitiſſe; unde hic originem ſuam trahere potuiſſet, divinare admodum difficile non videtur. Paulo enim ſupra expoſitas remotas cauſſas nullibi magis vires ſuas, quam in inteſtina exerere ſatis demonſtratum eſſe credo. Malam enim victus rationem, ac cholericas paſſiones inteſti-

na praecipue laeſiſſe nulli dubium fortaſſe puto. Ad aërem quod adtinet, demonſtrarunt prudentiores, ejus vitia cibis & ſaliva, quae inteſtina immediate laedunt, magis ſuſcipi, quam ulla alia via.

§. LIX. Verum aderant alia phaenomena, quae aliud quid a viſcerum naturalium laeſione diverſum oſtendebant. Hujuſmodi fuiſſe videntur petechiae aliquando rubrae, aliquando lividae, aliquando flavae, cinereae, aliuſve coloris: defoedatus totius corporis habitus, gangraena in aliquibus externis corporis partibus: dolores gravativi per corpus omne diffuſi, capitis interni & externi, deliria & convulſiones. Horum aliqua per conſenſum ex affectis viſceribus oriri potuiſſe conjectura nonnulli adſecuti ſunt. Hujuſmodi fere fuerunt capitis dolores, deliria, convulſiones: fodicatis enim nerveis viſcerum naturalium plexibus, convulſionem ad radicem nervorum omnium propagari potuiſſe, facile intelligitur; eamque mire agitare & convellere, non incongruum erat philoſophari; & revera ita ſe rem habuiſſe oſtenderunt ſectiones Anatomicae; quoniam aperta cadavera eorum, qui hiſce ſymptomatibus affecti fuerant, in

in cerebro utplurimum nihil vitii ſpectandum dederunt: tamen petechiae, dolores gravativi per corpus omne diffuſi, malus corporis habitus, gangraena aliquando in coxis, cruribus, dorſo, aliiſque partibus, indicant ſanguinis maſſam a naturali craſi degeneratam. Ad petechias, quod adtinet, ſcio eruditiſſimum Swietenium et propriis obſervationibus, et Hippocratis auctoritate demonſtraſſe, exanthemata aliquando ex ſordibus in primis viis contentis originem ſuam trahere poſſe. Verum in noſtra conſtitutione potius ex mala univerſali humorum craſi ortum duxiſſe non modo deſoedatio totius habitus ſuadet; ſed ſanguis ipſe e venis emiſſus confirmat; ex omnibus enim educebatur craſſus, ater et facile concreſcens; ita ut in caſibus dubiis prudentes quidam Medici ex ſanguinis qualitate dirigerentur; quoties enim cum aliquibus ſymptomatibus copulatam videbant indicatam ſanguinis craſim, non amplius de natura morbi epidemici dubitabant. Alter ergo morbi ſocus toti ſanguinis maſſae inerat, quo nempe ad coagulum tendebat.

§. LX. Unde alter hic originem duxerit, colligere ex dictis admodum difficile non erit. Su-

pra enim, ſatis demonſtatum eſt, omnibuſque notum in Auſtrina conſtitutione corpora inertia fieri, et humores inſpiſſari. Deinde intempeſtivo frigore martio et aprili menſe ſaeviente, ac corpora feriente, inſenſibilis tranſpiratio, ſenſibiliter minui debuit; ideoque enormes adeo impeditae excretiones, humorum maſſae additae, ejuſdem lentorem maxime adaugere neceſſario debuerunt. Coinquinari quoque debuit ſanguinis maſſa ab putridis humoribus in primis viis exiſtentibus, & lacteis ac bibulis vaſculis reſorptis; ut univerſales affectuum animi vires hic omittamus. Ambo hi foci ſeorſim etiam poterant violentiſſimas febres peſſimis ſtipatas ſymptomatibus producere: videndum ergo adhuc ſupereſt, an ambo aequaliter concurrerint, an uter majorem partem obtinuerit.

§. LXI. Si attento animo advertamus, quod morbus tunc maxime ſaevire cepit, cum conſtitutionalis diarrhaea ſiluit; quod omnes, quibus alvus libere fluebat; & bilis putrida, ac verminoſa materia expellebatur, evadebant: e contrario, quod peſſime ut plurimum cedebant ſudores; & quod ſilente alvo intumeſcebat venter, vomendi conatus uſque ad altiores dies in-

va

valeſcebat, cui utplurimum ſingultus ſuccedebat: deinde convulſiones, deliria, & capitis oppreſſiones, & ſomnulentia adcedebant, ac ita tandem peribant aegri: videtur morbus primariam ſedem in inteſtinis potius habuiſſe: ſuadet id quoque febrium genius, ac natura: invadebant enim omnes paene cum rigore & frigore nauſea, & vomendi conatu, ventris inflatione, & murmure; ac primis diebus in pluribus, ſi non perfectam apyrexiam, ſaltim non pavam remiſſionem relinquebant: morbo ulterius progrediente, ſi ex pulſu adeo evidenter novus paroxiſmus cognoſci non poterat, aperte ſatis eum oſtendebat ſymptomatum augmentum. Hujuſmodi autem periodicas febres a bile produci docuit omnis paene antiquitas. Memoratu utique dignum eſt, quod ſcribit Hippocrates libro de veteri medicina (*a*): *Itaque quum amaritudo quaedam*, (*ſive amarus aliquis humor*, ut legit Foeſius,) *quam bilem flavam appellare ſolemus, diffuſa fuerit: quaenam ſtatim anxietates, & aeſtus, & inpotentiae occupant? . . . . . . quanto autem tempore eadem elevata fuerit, & cruda, & maraca, ac intemperata, nulla arte neque dolores, neque*

(a) §. 34.

que febres ſedare poſſis . Et quos quidem acuta acriſque ac aeruginoſa bilis affligit, quales mox rabies , & morſus viſcerum ac pectoris , & deſperatio ? ut alia ſimilia omittamus loca: quam bene haec conſonent conſtitutioni noſtrae ſciunt clinici, qui omnia in aegris noſtris obſervarunt; nec ejuſdem placitis adverſari videntur experientiſſimi Recentiores: en quomodo explicatur Cl. Gorterus: *Humor morboſus, ſubpinguis ſaponaceus, acris calefaciens , amarus flavi coloris , bilioſus dicitur; hic in corpore haerens producit faſtidium, nauſeam, ructum nidoroſum, linguam ſiccam, amaram, anxietatem , dyſenteriam bilioſam , horrorem agrypiniam , vel ſoporem , aut delirium , cephalalgiam , ſurditatem, oculos nictitantes, tumorem, pulſum celerem aut frequentem , calorem mordacem acriſiam:* Nonne graphice Cl. hicce vir, quae aegris noſtris acciderunt, depingit (*a*) ? Neque taedet Cl. F. Hoffmanni dogmata huc traſcribere. *Inter morbos ex bile perverſa & ad ſanguinem traducta, praecipue febres, & quidem ſic dictae bilioſae recenſeri merentur . Et quamvis ipſae febres bilem generent, nullum tamen eſt dubium, quin etiam a bile vitioſa oriantur . Conſentientem hac in re ha-*

(a) Syſtem. praxeos medic. §. 130. 230.

habemus Hippocratem . Primo enim non dubitari poteſt, & aſſenſum quoque apud antiquitatem inveniemus , febrium plurimarum , praeſertim intermittentium, ardentium , & ſic dictarum cholericarum , propriam ſedem originem in prima corporis regione circa praecordia , inteſtina tenuja , jecoris cava, lienem , pancreas, omentum ; utpote in hiſce locis ordinario ſanguinis tardior eſt circulus , generatio fit impuritatum , & corrupti acres humores ex pancreate in inteſtina influunt, & non modo pathemata ordinaria in hypochondriacis ſpaſmodico febrilia , ſed & ſupra dictas febres excitant , ſiquidem ſymptomata , quae has febres comitari ſolent, plerumque dicta in regione incipiunt (*a*) . Neque omittendus mihi videtur toties laudatus Boerhaavius, qui ſic loquitur (*b*) . *Bilis flava vitellina porracea , ac aeruginoſa, Iſatodes ſolo motu , convulſione, animi affectu , ſaepe naſcitur, cauſſa vix explicata hactenus ; producit autem multos maloſque morbos , nauſeas , horrorem contra cibos , anxietates , ſingultus, cardialgias , vomitus , dolores iliacos, tormina , flatus, borborygmos, diarrhaeas dyſenterias, acutos morbos, febres , convulſiones*, quae quidem

(a) De bile medic & ven. corp. hum.
(b) In aetiologia pathologices.

Digitized by Google

dem omnia, ut innumera alia loca ejuſdem, & Swietenii & Cl.Tiſſot omittam, quae in omnium manibus verſantur: jam ſatis adſertum noſtrum confirmant: cum e contrario ſi ab univerſali ſanguinis maſſa in vaſis ubique retardata morbus productus fuiſſet: febres potius continuae continentes homotonae, epacmaſticae, aut paracmaſticae fuiſſent. Quare ſi noſtram qualemcumque interponere licet ſententiam, arbitramur conſtitutionis noſtrae febres putrido-bilioſas fuiſſe, quae ob praegreſſas inſolitas, multiplices, maximaeque virulentiae cauſſas, malignitatem, multiplicemque faciem induerant.

§. LXII. Revera aliquando ob materiae in viſceribus imi ventris exiſtentis virulentiam hepar, aut viſcus aliud inflammabatur; aut ob ſpaſmos in iiſdem viſceribus obortos humorum circulatio in paene tota abdominis extenſione praepediebatur: unde ſanguis majori copia ſuperiora petens aut pulmonum ſubſtantiam, aut menynges, & ipſum cerebrum inflammans veram hepatitidem, pulmoniam, & idiopathicam phrenitidem producebat. Tunc periodus non amplius obſervabatur: febris noctuque diuque eodem tenore vexabat, & plurimos tandem ju-

gu-

gulabat. Aliquando aderat cacochymia tam in viſceribus, quam in toto vaſculoſo ſyſtemate, & ſumma ad morbum proclivitas; morbus tamen non dum proruperat: accidentales deinde cauſſae incitamenta dabant. Sic vidimus plurimos ob inſolitum motum aut perſpirationem impeditam in morbum incidiſſe. In hiſce febris continens veluti catarrhalis, aut rheumatica in ſcenam prodibat primo: ejus tamen actione concitabatur ſaburra in viſceribus contenta; et facta complicatione morbus oriebatur nomine ſimplex, cauſſa tamen multiplex, ac inſuperabilis naturae. Pro diverſitate tamen temperamentorum, humorum, et canalium, in quibus ſtaſes fiebant, vario modo procedebant febres: nam quoties lympha primo ſubſiſtebat, et aegri non adeo ignei erant temperamenti, lente procedebant, et catarrhalium more multos decipiebant. Increſcente deinde morbo petechiae apparebant varicolores ac peſſimi moris, aliaque ſymptomata. Si vero aegri ſanguinei fuerant temperamenti; et ſanguis ipſe ater, et craſſus in vaſis majoribus haerebat; tunc veluti phlegmone univerſalis oriebatur, et febres vehementiſſimae ac calidiſſimae erant: petechiae primo rubrae apparebant, dein-

Digitized by Google

de nigrae; et gangraena in nonnullis partibus oriebatur. Hujus tamen generis febres rariores viſae ſunt mihi. Non levis haec diverſitas fecit, ut de medicorum peritia obmurmuraretur. Nonnulli enim, qui aliorum judicio reguntur, methodum, quam in conventu aliquo celebriorum medicorum ſtatutam audiebant, omnibus indiſcriminatim adplicabant: unde potius quam ſalutem, mortem inducebant.

C A P U T VII.

De Symptomatum origine & cauſſis.

§. LXIII. QUamquam plurima de Epidemici morbi ſymptomatibus hactenus produxerimus, ſive cum illa hiſtorice capite ſecundo deſcripſimus; ſive cum iisdem, ut natura morbi detegeretur, capite ſuperiori uſi ſumus; tamen generica oratione ſingulorum naturam, ortum, & cauſſas minime perſequuti ſumus. Quoniam vero horum cognitio, & morbi eſſentiam plurimum elucidat; & de variis medendi methodis rationem quoque modo reddere videtur; ideo ſingula hic enucleare

re conſtituimus . Pro eorundem tamen faciliori intelligentia aequum exiſtimavimus , omnia binis claſſibus complecti : quarum prima contineat, quae in primis viis, ſive in imi ventris viſceribus obſervata fuerunt: ſecunda reliqua omnia, quae in univerſo corpore ſe ſe ſpectanda dederunt, complectatur. Sub prioris cenſu veniunt nauſea, vomitus, oris amarities, ructus, flatus, anxietas circa viſcera imi ventris , ſingultus , viſcerum convulſiones , ac dolores varii , alvi aliquando ſilentium, murmura, borborygmi, ventris intumeſcentia & tenſio: aliquando diarrhaea , qua foeces putridae, bilioſae, vermes egerebantur. Continet ſecunda, febres, deliria , convulſiones univerſales, vigilias diuturnas, affectiones comatoſas, petechias , dolores gravativos, anxietates, animi deliquia, pulſus vibrantes, aliquando languidos, aliquando irregulares, & intermittentes. De primis nunc ; de ſecundis paullo infra dicemus.

§. LXIV. Antequam vero ad rem adcedamus lectores noſtros monitos hic volumus , non ea omnia hic adducere in animo eſſe, quae eorumdem eſſentiam , cauſſas, eventus , alioſque ex iis oriundos morbos ſpectant ; nimium enim excre-

ſceret oratio; & nos fortaſſe inſtituti noſtri limites tranſiliiſſe videremur. Ex iis ergo ea tantum colligere, & exponere conamur, quae ad rem noſtram maxime facere videntur; generica enim eorum omnium doctrina, et a ſublimioribus ingeniis fuſe ac docte nimis jam pertractata eſt, et omnibus ſatis nota exiſtit. Ad rem ergo adcedentes de nauſea et vomitu explanationem ordiemur.

§. LXV. Quoniam nonniſi gradu haec duo ſymptomata inter ſe differunt; ita ut nauſea incipiens veluti non abſolutus vomitus ſit; hic vero ſummus nauſeae gradus: una eademque amborum theoria videtur. Sicut ergo natura dictante, nauſea eſt irritus vomendi conatus; ita vomitus eadem oſtendente, eſt violenta contentorum primum in ventriculo, dein in inteſtinis, ac tandem viſceribus ſe evacuantibus, violenta per os expulſio, quae ab inverſo ſive retrogrado faucium, oeſophagi, ventriculi, & inteſtinorum ſpaſmodico motu oriri videtur, quo ſurſum verſus pelluntur ea, quae naturali & ſolito motu verſus inferiora propelli debebant. Pro cauſſa horum affectuum proxima adſignarunt veteres majorem vel minorem, pro eorum diverſitate,

fibra-

fibrarum muſcularium faucium, oeſophagi, ſtomachi, inteſtinorum convulſionem. Arbitrantur Recentiores ſolam illam inertem eſſe, praeſertim ad vomitus productionem; ideoque muſculorum abdominalium & diaphragmatis aliam adjiciunt: quibus veluti gemina manu compreſſa inteſtina, contenta expellunt ſurſum. Etſi ſimpliciſſima ſint haec, facileque experimentis etiam demonſtrari poſſint; non ita tamen ſe res habere videtur, quoties de adſignandis cauſſis agitur, quae indicatas modo convulſiones, vel retrogrados motus producunt; multiplex enim in iis deprehenditur diſcrimen. Licet omne, quod indicatas modo partes exſtimulare valeat, poſſit pro remota cauſſa haberi: id tamen multiplex eſſe poteſt. Ut vero multa paucis comprehendamus: videtur id, quod vellicando, & irritando nauſeam vel vomitum producit, poſſe vel iiſdem partibus haerere, vel in remotioribus exiſtere; & nervorum ac vaſorum conſenſu poſſe in ipſas actiones ſuas ſive ſtimulos propagare.

§.LXVI. Quae ventriculo primiſque inteſtinis haerentia valent, eorum nerveas fibras irritando, nauſeam & vomitum excitare, plurima eſſe poſſe hiſtoria medica docet. Verum nil magis, quam

acrem

Digitized by Google

acrem ac putridam bilem id poſſe, innumeris obſervationibus evictum eſt . Solam majorem optimae bilis copiam in ventriculo fluctuantis nauſeam & tandem vomitum produxiſſe teſtis eſt cl. Swietenius . Refert cl. hicce vir (*a*), quod cum ad curandam topicam ventriculi debilitatem , abdomen jejuno homini in lecto perfrigandum imperaſſet pannis laneis calidis accenſi ſuccini vapore penetratis , ſe obſervaſſe, cum rudius perſrigaretur , nauſeare incepiſſe, vertiginoſum fieri, & ab omni cibo abhorrere, donec poſt aliquot horas bilem vomeret, nec colore , nec ullis aliis adtributis a ſana bile diverſam : praecipiens deinde ne inter fricandum , premeretur illa abdominis regio , ubi fundus bilis cyſticae infra hepatis limbum eminet , nihil mali percepit . Praeter cl. viri obſervationem videmus quotidie ſaniſſimos viros , ubi ſubita & violenta ira convelluntur , ut bilis copia optimae licet indolis in duodenum & ventriculum deſcendat , & per oeſophagum aſcendat , primum os amarum per ſentire, dein vomitu bilioſo vexari : quod diu jejunantibus frequentiſſime quoque accidere obſer-

(a) In commen. ad aphoris : Boerhaav. §. 642.

ſervamus. Si haec optimae licet indolis bilis efficere valet; quid quaeſo acris & putrida efficiet? Haec utique natura ſua ad putredinem prona, ſi iners fuerit, vel languente ventriculi & inteſtinorum tono, ſtagnaverit, nec rite cibis permiſta fuerit, aut adcedentibus acidis humoribus magis in craſi ſua pervertatur, acris & cauſtica redditur, & clariſſimo Hoffmanno advertente (*a*) parit vomitus bilioſos, virides, aeruginoſos, quin & nigros. Nauſeam & vomitum in aegris noſtris ex hac praecipua cauſſa originem traxiſſe, colligi poteſt Boerhaavio admonente (*b*) ex inedia tolerata, halitu putri, ore, lingua, & faucibus ſordidis: quae omnia in ipſis aderant; ſicut & ex materia per ipſum vomitum rejecta amara, acri, viridi, & aeruginoſa. Praeter putridam bilem poterant nauſeam, & vomitum excitare vermes, & cibaria peſſima qualitate noxia ingeſta. Primos & per alvum, & per os, dejectionibus, & vomitu egeri vidimus. Ad cibaria quod adtinet, jam ſatis ſuperque oſtenſum eſt, malam victus rationem dominatum obtinuiſſe (*c*).

§.LXVII

(a) Cap. de vomitu.

(b) In aphoriſ. de cognoſcend. & curand. morbis §.642.

(c) Vide cap. IV.

§.LXVII. Alterum, quod expendendum ſupereſt, videtur: quod non ſemper id, quod exſtimulando nauſeam & vomitum producit immediate primoribus inteſtinis, ventriculo, oeſophago, aut faucibus exiſtat; ſed poteſt etiam, ex aliqua vicinorum viſcerum morboſa affectione ipſis ſtimulus communicari, praecipuae nervorum ope. Sic enim in nephriticis, quotidie obſervare licet, ob communem plexus nervei renalis & ſtomachici originem, convulſivum & inanem vomitum excitari; & ob eandem rationem pariter in hyſtericis frequentius accidit. Verum multiplici de cauſſa ex affecto hepate idem fieri debet: Et nervi ex communi trunco propagantur; & hepar ventriculo incumbit, illumque fovet: & mutuis vaſorum ac membranarum adhaeſionibus complicantur; ideoque irritationes ſpaſmos, preſſiones ſibi mutuo facile communicant. Novit id Galenus, ideoque de hepatis inflammatione agens, monuit (*a*) appetitum deletum nauſeam & vomitum illam comitari: additque omnia haec potius adeſſe dum hepatis cava pars inflammatur, quam ſi in convexa id fieret. Et cl. Swietenius monet, & nos plu-

(a) De locis affect. lib. V. cap. 7.

Digitized by Google

pluries vidimus nec niſi animi angore recordamur, quod quoties in ductu choledoco, oborto aliquo obſtaculo, collecta bile turgentes biliarii ductus, & cyſtis fellea evacuare ſe nequeunt, poſt diras anxietates, vomitus enormis ſequatur, tamdiu durans, donec validiſſimis his ſpaſmis diaphragmatis & muſculorum abdominis retropreſſa bilis, in ſanguinem redierit, & icterico colore totum corpus foedaverit. Similia obſervata, quae vomitum inanem ex vitio hepatis affecti oriri docent, paſſim apud auctores reperire licet: praeſertim Cl. Morgagnus pertinacem vomitum obſervavit, quem deinde ex inflammatione hepatis ortum fuiſſe, anatomica ſectione comperit (a). Quae omnia ideo monuimus; quia pluries in aegris noſtris aderat nauſea haec & inanis vomendi conatus, non a ſaburra acri & bilioſa in ventriculo haerente, ſed a ſtimulo ex partibus vicinis praeſertim hepate propagato ortus: qui quidem ſtimulus aliquando in ſimplici partium nervoſarum ſpaſmo, aliquando in phlogoſi alicujus partis conſiſtebat. Haec omnia probe diſtinguenda erant, priuſquam

 ad

(a) Vide Epiſtola XXX. de ſedibus morborum per Anatomen detectis.

ad auxiliorum adplicationem adcederemus .

§.LXVIII. Neque explicatu difficile admodum videtur ructus & flatus , quos vehementi impetu ejiciebant aegri; vel anxietas illa, quam circa hypochondria cum ſummo animi angore perſentiebant . Putreſcentes in ventriculo , & inteſtinis humores, elaſticam materiam exhalantes , & acredine ſua nerveas ventriculi & inteſtinorum fibras ſtimulantes , ructuum & flatuum generationi materiam , expulſioni vires praebebant; qui , ubi nulla exeundi via concedebatur, ventriculum & inteſtina extendebant , quae mire intumeſcebant; quaeque dum agebantur, ob compreſſionem ultimarum arteriolarum ac venularum , et ſanguis , qui per arterias in viſcera imi ventris deſcendebat, ulterius progredi nequibat ; et ſanguis per meſeraicas venas violentius propulſus per venam portarum in hepar , in ipſo prae inſolita copia , et ob non ſatis liberum iter, remoram patiebatur ; et ductus biliarios comprimens , novam acrem bilem in inteſtina propellens, irritationem novam procreabat: ex hac ergo lucta ſive actione ſanguinis impellentis per arterias, et reſiſtentis per venas, ac preſſione ejuſdem in latera canalium , an-

anxietas illa generari debebat, quam aegri ſuſpiriis, ructibus avertere incaſſum tentabant.

§. LXIX. Neque nova perquirenda videntur principia, ut ſingultus explicetur. Si enim hic, ut videtur, eſt convulſio oeſophagi ventriculum et diaphragma ſurſum trahens, dum ſimul diaphragma ſubito deorſum convellitur; et inter varias cauſſas agnoſcit acrimoniam ventriculo haerentem, vomitus exceſſum, vel ſpaſmum ex hepate propagatum: intelligitur facile ex hiſce cauſſis in aegris noſtris praeſentibus ſingultum oriri debuiſſe. Ex irritatione enim ventriculi, vel hepatis, convulſo diaphragmate ſimul, neceſſario ſingultus oriebatur. Ex ſpaſmis hiſce per viſcera imi ventris propagatis, et alvi ſilentium, et urina percolata, et aliquando omnimode ſuppreſſa oriebantur. Vidi in quibuſdam adeo contracta fuiſſe inteſtina, ut nullo modo injecta clyſmata recipere poſſibile foret. Mirum ne ulli videri poterit in hoc viſcerum imi ventris ſtatu, quod pluribus gangraena ſive nonnullarum partium mors adceſſerit! Contrarium potius admirationem excitare debuiſſet.

§. LXX. Licet diarrhaea ex pluribus cauſſis originem ducere poſſit; tamen ex quanam prae-

cipue in aegris noſtris oriebatur, ipſae alvi egeſtiones putridae et biliofae manifeſte ſatis oſtendebant. Putridum ergo bilioſum et acre inteſtina irritans, diarrhaeam producebat; quam quidem utiliſſimam experiebantur aegri, quoties ipſa craſſa putredo, et cauſſa morbi expellebatur; non vero quoties ſubtile ſerum irritatione tantummodo expreſſum educebatur; neque quoties ex partium reſolutione oriebatur.

§. LXXI. Ad alteram ſymptomatum claſſem pertinet primo febris, quae unde originem ſuam duxerit, & quaenam fuerit diſcriminis ratio, jam capite ſuperiori ſatis indicatum eſſe credo. Expendendum ergo hic ſupereſt, quomodo, vel ex viſcerum vitio, vel ex totius maſſae ſanguineae mutata craſi, aut motu, illa proruperit. Verum ſalebroſiſſima nimis eſt haec quaeſtio, vaſtaeque nimium indaginis, ut hic pertractari poſſit: praeſertim quia circa ejus naturam ac generationem quot capita, tot extant ſententiae. Ne tamen abſolute intacta nobis remaneat; & inſtituti noſtri limites minime praetergrediamur, omiſſis aliorum placitis, quantum ad nos pertinet, aliqua de ejus generatione producemus.

§. LXXII. Ut ut inter ſe diſcrepent, omnium

aeta.

aetatum ac ſectarum Medici circa febris eſſentiam: conveniunt tamen omnes circa ejus praeſentiam. Defert ergo ſecum perpetuo quaedam ſigna, quibus ſe ipſam omnibus oſtendit. Etſi varii varia adſignaverint; prudentiores tamen Recentiores cum cl. Boerhaavio in omni febre a cauſſa interna orta horripilationem, calorem, & pulſuum velocitatem adſignant. Verum ſi adtendamus, horripilationem nec omnibus nec toto febris decurſu adeſſe, ſed tantum in principio: videtur minime febris eſſentiale conſtituere. Nec diſſimilis eſt ſermo de calore, qui nec toto febris decurſu obſervatur, nec in omnibus febrium generibus adeſt; in algidis enim antiquorum deeſt. Febris ergo eſſentia in ſola pulſuum velocitate conſiſtere videtur. Haec enim in omni febrium genere, & a principio ad finem ſemper adeſt, debita tamen proportione. Cum autem pulſus arteriarum ſint effectus motus cordis, & circulationis ſanguinis; ideo definiri poſſet febris motus cordis, & arteriarum uniformiter auctus non ſecus, ac eam definivit Cl. Pitcarnius inquiens (*a*), *per vocem febris intelligo velocitatem circulationis uniformiter*, *ideſt*

per

(a) In Elem. Medic. lib. 2. cap. 1. §. 1.

per aequalia temporis intervalla aequaliter auctam. Objectiones, quas adverſus ſimpliciſſimam hanc febris definitionem diverſis temporibus nonnulli produxerunt, enucleatae facile apud Swietenium legi poſſunt (*a*); ideoque hic omittimus.

§. LXXIII. Verum non haec ea videntur, quae majorem difficultatem involvunt; quaeque cognoſcere magis intereſt. Cauſſae, quae hanc pulſuum, & ſanguinis accelerationem producunt, ſcitu magis neceſſariae ſunt: quoniam earum cognitio eſt, quae ad felicem curationem conducit. Quamquam in corpore humano ita omnia ſint colligata, & inter ſe conſpirantia, ut circulo facto, neque principium neque finis inveniatur, ut monuit Hippocrates; tamen ſi vulgata de puncto ſaliente doctrina non abſona eſt; & id ex omnium conſenſu cor exiſtit: videtur cor totius machinae humanae primum mobile eſſe. Ex ejus enim ſyſtole & diaſtole, oritur arteriarum pulſus, ſanguinis propulſio, & circulatio. Si ergo febris eſſentia in pulſuum aucta velocitate conſiſtit: hi vero a cordis ſyſtole origi-

(b) In commen. in Aphoriſm. de cogn. & curand. morbis Berhaar.

ginem trahunt: Aucta celeritas motus cordis, praecipue ſyſtoles proxima febris cauſſa erit: remotae eae omnes erunt, quae motum cordis accelerare valent; & hoc circa nulla fortaſſe diſſentio occurrit; maxima enim ſcriptorum pars idem ſemper docuit. Legantur Borellus, Rega, Hoffmannus, Boerhaavius, ejuſque doctiſſimi Auditores, ut alios praetereamus; & aſſerti noſtri veritas conſtabit. Verum in immenſum variant, quoties cauſſas adſignant, quae cor ad celeriores oſcillationes ſtimulant.

§. LXXIV. Succum nerveum ſolito acrius redditum & in cor inſtillatum accuſant nonnulli. Alii vero ipſum optimae licet indolis, ſed celerrime majorique copia in cor propulſum pro cauſſa agnoſcunt. Alii totius ſyſtematis nervoſi, & vaſculoſi ſpaſmum adſignant. Clariſſimus autem Boerhaavius, qui omnium maxime accuratiori ratiocinio ſalebroſam ſatis quaeſtionem enucleare adgreſſus eſt, ſedulo perpendens, quod omnis fere febris a cauſſa interna orta incipiat cum ſenſu frigoris, concuſſionis & horipilationis; & eodem tempore pulſus velox exiſtat & parvus, & aliquando intermittens cum pallore exremorum & inſenſili-

tate

tate &c. concludit (*a*) *unde liquet ſtagnare tum humores ſanguineos in extremis vaſculis, & ſimul tamen cauſſam cor irritantem adeſſe :* quae quidem conſequentia veriſſima videtur mihi , quo uſque non determinatur, quaenam ſit cauſſa cor irritans . Verum ubi cl. vir ſtatuit, illam eſſe velociorem ſpirituum Animalium influxum in cordis fibras, illi adſentire minime poſſum; quoniam a ſedula naturae obſervatione didici , febres excitari abſque eo, quod ulla ſufficiens ratio adſignari poſſit in velociori ſpirituum Animalium influxu .

§. LXXV. Scriptorum diſſentio, ſicut & Boerhaavii adlata ſententia circa cordis accelerationem, ex varia theoria de motu muſculorum originem ducere videtur mihi . Cum autumat enim Boerhaavius motum muſculorum fieri ab influxu ſucci nervei & ſanguinis ſimul in muſculos; & cor ſit merus muſculus; ideo cum in motu ſuo accelerari videat ipſum , arbitratur ex iiſdem cauſſis celerius tantum applicatis moveri & accelerari ; ut evidenter oſtendit cl. Swietenius Boerhaavium commentans. Verum etſi aſſentiam illi muſculorum motum volun-

(a) §. 577. in Aphoriſ. de cogn. & curand. mor.

Digitized by Google

luntatis imperio ſubjectorum fieri ab actione nervorum ſive influxus ſucci nervei, & ſanguinis ſimul; minime tamen eidem adſentire queo circa motus involuntarios; & praecipue quoties agitur de actione cordis. Concipere enim numquam potui: quomodo cor, quod primum eſt punctum ſaliens in homine naſcente; & a quo vitam & motum accipiunt reliqua omnia; & aut cerebrum efformatur juxta Hippocratis plurimorumque Recentiorum ſententiam; aut, ut aliis placet, aeterna providentia ſimul cum caeteris partibus factum, vivificatur; & ad ipſum ſpirituum animalium aut ſucci nervei materia mittitur: concipere inquam numquam potui, quòmodo poſtea ſpiritibus animalibus aut nervis indigeat, ut moveatur.

§. LXXV. Duo ergo motus principia in corpore hnmano concipio cor nempe, & cerebrum. Cor proprie principium vitale videtur mihi & mere mechanicum, ex quo omnia vitam accipiunt. Ipſum enim, ſanguinis propulſione juxta mechanicas leges peracta, corpus omne diſtendit, nutrit, auget, atque vivificat. Cerebrum vero principium mere Animale eſſe arbitror: quod nempe motuum omnium Animalium cauſſa

exiſtat: quatenus medio ſucco nerveo, aut ſpiritibus animalibus, ſive nervorum actione, ad nutum Animi corpus omne movetur: non ſecus ac medio ſanguine cordis actio per corpus omne diffunditur, illudque vivificatur. Movens vitale primum eſſe debuit in corpore humano, neque ſpirituum miniſterio, ut moveretur, uti potuit: cum enim hi a ſanguine progignantur: in cerebro elaborari minime poterant, ni prius a propellente cordis vi eo pulſus eſſet ſanguis; quoniam vero voluntatis imperio, ſive animi nutibus obedire debebat humana machina; ideo alterum motus principium eſſe oportuit, quo animi actiones in corpus transfunderentur; & viciſſim organici corporis actiones animo communicarentur. Divina providentia cautum videtur, ne principium motus animale cum principio vitali congrueret. Si enim unum idemque forent, mors facile ad nutum animi revocaretur; & infelicibus brevis nimis eſſet vita; divinique Numinis aeterna voluntas inſtabili hominum voluntate facile fruſtraretur. Plurima de hac doctrina ſcripſimus parte tertia noſtri Anti-newtonianiſmi, cum de motus origine egimus, quae fortaſſe brevi quoque lucem aſpiciet.

ciet, & comparari poterit: illis ergo nunc ſepoſitis: ne divina voluntas fruſtraretur, hominiſque vita inſtabili ejus voluntati innixa haereret, alterum principium conſtitutum fuit, cerebrum nempe, mechanicum quoque, ſed animo ſubjectum; a quo per nervos ad omnes corporis partes, corde nec quidem excepto, fluentes ſpiritus animales, vel ſuccus nerveus voluntatis miniſtri, vel propagatae ſimpliciter oſcillationes, ut aliis placet, poſſent corpus ad nutum animi movere. Ex hac iterum ratione colligi poteſt, cor primum mobile fuiſſe: partes enim voluntati parere nequiſſent, ni prius a corde affabre factae fuiſſent. Nil mirum ergo ſi foetus acephali vivere viſi ſunt. Corporis enim vita non a cerebro, ſed a corde pendet. Mirum utique videri debuiſſet, ſi acephali foetus actiones animales peregiſſent; ideoque poteſt cerebrum abeſſe, vel quoque modo opprimi, & mechanica corporis vita perdurare: unde intelligitur celebre illud Archigenis effatum de Apoplecticis: *Mortui vivunt*. Quamquam vero cor ſit primum corporis movens, neque cerebri actione indigeat, ut moveatur; poteſt tamen a principio animali cerebro nempe nervorum ope mu-

 tari

tari in motu ſuo. Revera videmus quotidie pulſus in laetitia ſuaviter accelerari, vehementer in ira commoveri, retardari contra in moeſtitia.

§. LXXVI. Hiſce poſitis quamvis videam & ipſe nervi ac arteriae neceſſitatem ad motum muſcularem; tamen in corde, licet muſcularis indolis exiſtat, autumo ſolum ſanguinem in mechanicam cordis ſtructuram irruentem poſſe alternum ejus motum excitare. Revera doctiſſimus ipſe Swietenius ſupra citato loco, expoſita Boerhaavii ſententia, alias adducit cauſſas, a quarum actione cordis motus excitari, & accelerari poteſt, ſine ſpirituum influxu, aut cerebri actione. *Praeter illas*, inquit, *motus muſcularis cauſſas, quas cum reliquis corporis muſculis communes habet cor, adhuc alia ſupereſt, nempe ſanguinis venoſi influxus in cava cordis.*

§. LXXVII. Mira obſervata, eodem Cl. Viro advertente, docuerunt, poſſe cordis motum reſuſcitari, dum inflatis venis urgebatur ſanguis in cava cordis. In fele mortua, quae diu jam obriguerat, dum in cyſternam chyli inflaret Pejerus, vidit auriculas primo, dein totum cor ſaepiſſime, & per plures horas vibrare. Obſerva-

vavit ſimul calido fotu adjuvari hoc experimentum; & in humanis etiam cadaveribus ſuccedere. In ciconia veneno enecta poſt horam, aëre per aortam arteriam inſufflato, cor pulſare vidit. Similia experimenta apud Wepſerum habentur: ut innumera alia ejuſdem cenſus ab Harveo, Stenone, Amſtelodamenſibus, Actibus Hafn., Lowero, aliiſque relata, quae celebris Albertus Haller collegit; (a) ejuſdemque experimenta, quibus oſtendit praepedito refluxu ſanguinis per venas in cor, ſtatim a motu ſuo deſiſtere (b), omittamus. Poſtquam Pejeri & Wepſeri experimenta expoſuerat celeberrimus Swietenius, concludit tandem: *ſi ergo ab impulſo ſanguine vel aëre in cava cordis potuit reſuſcitari motus cordis in cadavere, quanto magis hoc fiet in vivente, dum calidus ſanguis magna copia, & valida contractione auricularum, & ſinuum venoſorum in cava cordis impellitur?* quibus poſitis ita ratiocinari poſſe puto: experimenta Harvei, Pejeri, Wepſeri, Stenonis, Halleri directe concludunt, quod ubi ſanguis aut per

(a) In praelec. Acad. Boerhaav. n. 159.
(b) Obſervation du mouvement du coeur lieu li 10. Nov. 1751.

per venas, aut per aortam in cordis elaſterium irruit, cogat idem oſcillare; & eo quidem tardius, aut celerius, quo tardius, aut celerius irruit; & per experimenta Halleri conſtat praecipue a motu deſiſtere, quoties impeditur in cor irruere. Quod autem ſpiritibus opus ſit, ut cor moveatur, argumentatur tantummodo, quod reſectis nervis cardiacis, ſtatim paralyticum fiat cor; quoniam ſpiritus animales nullibi fortaſſe viſi ſunt, licet ratio illos ſuadere videatur. Verum ſequela haec non ſatis legitima videtur mihi; aſſeri enim quoque poſſet, ideo reſectis nervis cardiacis, paralyſim ſuccedere; quia turbatur, & quoque modo reſolvitur mechanica cordis, majorumque vaſorum ipſi adhaerentium ſtructura. Haec ſemel in mechaniſmo ſuo turbata nequit amplius alternis ſanguinis ictibus obedire, & motum continuare. Quamobrem crederem, cordis motum a ſolo ſanguinis impetu in mechanicam cordis ſtructuram irruente produci.

§. LXXVIII. Et quod omni prorſus deſtitutus ratione hoc ego non adſeram: en quomodo, ipſo quoque Boerhaavio, Swietenio, Hallero, & Hippocrate, ut inferius patebit, duce

ce-

Digitized by Google

celeberrimum phaenomenon explicari poſſe putarem. Arteriarum coronariarum diaſtoles juxta celeberrimorum phyſiologorum obſervata achrona eſt cum diaſtole arteriae aortae. Syſtoles contra aortae ſynchrona eſt cum ſyſtole auricularum cordis: en quomodo hac ſuper re explicatur Cl. Boerhaavius (*a*): *Arteriae ejus duae mox ſupra valvulas ſemilunares ſinixtri cordis ortae, ex aorta oppoſito itinere unum componentes canalem, baſi cordis innatum toto ambitu, unde demiſſae arteriae variis inter ſe anaſtomoſibus junctae, in innumerabilia exiliſſima vaſcula diſtributae, omnia ſenſibilia cordis puncta pervadunt, omnemque fere ejus ſubſtantiam cum venis ſimiliter poſitis componunt, accreta inter vaſa pinguedine externa. Hae arteriae ſunt in diaſtole, dum reliquae corporis arteriae in ſyſtole conſtituuntur:* & de venis coronariis loquens, inquit pariter: *hae venae inaniuntur, dum reliquae corporis venae implentur*. Quae quidem magis illuſtrat in praelectionibus, inquiens: *obſervatio haec omnino memoria digna eſt: nempe quando cor ſanguinem ſuum in arteriam aortam expellit: tunc contractum & exangue eſt, nempe apparet manifeſto argumento, quod*

(a) In Inſtitution. Medic. §. 183.

quod eo tempore nihil in ejus arterias accipiatur. Ergo eo tempore repletur arteria aorta, cum arteriae coronariae inanes ſunt (fortaſſe melius, cum ſe ſe inanire conantur) *quando vero momento, quod cordis contractionem ſequitur, relaxatur cor, & arteria aorta ſe contrahit: tunc ſanguis aortae retropoluſus a reſiſtentia ſanguinis, quo plenum reperit arteriarum ſyſtema, recedit in apertas arterias coronarias. Ergo eo tempore omnes corporis humani arteriae ſunt in ſyſtole, quando coronariae replentur. Denuoque eo quod ſequitur minuto ſecundo horae, cor contrahitur valide, & ex muſculorum communi indole ſanguinem ſuum arterioſum exprimit, tumque denuo repletur aorta, dum inaniuntur arteriae coronariae:* Neque a Praeceptore diverſum reperire licet doctiſſimum ejus Auditorem Albertum Haller, qui in notula eidem Boerhaavii loco praefixa, ſic concludit: *utroque modo apparet coronarias arterias non a corde repleri, ſed ab aorta, & eſſe cum aorta aſynchronas, quae prima cauſſa eſt perpetui mobilis in corde.* Interim poſitis hiſce, ad rem noſtram redeuntes obſervamus, quod conſtrictis eodem tempore auriculis & arteria aorta, ſanguis ex auriculis pellatur eodem tempore in ventricu-

culos, quo ab aorta alter in coronarias arterias urgetur: en quod mea ſenten tia ſufficere poſſet ad ſyſtolem cordis progignendam. Sanguis in ventriculorum cavitatem deſcenſus proprio pondere, ut alias ejus vires omittamus, eorumdem latera premens, comprimit ultimos arteriarum coronariarum ramulos; ideoque impedit, ne in venas coronarias tranſeat ille, fluatque ad ſinum auricularem dextrum: efficitque, quod in aliis maſculis voluntatis imperio ſubjectis, efficiunt nervi, ſive liquores per ipſos fluentes: aucta ergo ejus altitudine viva, debet neceſſario coronariarum arteriarum latera extendere, quae cum omnem cordis fabricam perreptent, unoque fine in ipſas cordis fibras deſinent (*a*): efficitur ut hac laterali diſtenſione minuatur cordis longitudo eodem tempore, quo lateralis parietum dimenſio augetur, & dureſcit. Sanguis enim coronariarum non modo cordis fabricam verſus exteriora, ſed verſus interiora quoque ventriculorum cava diſtendit: unde decreſcunt cavitates ventriculorum; & violenter comprimitur ſanguis ipſis contentus, quique reprimens ven-

O tri-

(a) Vid. Winslow. de fabrica muſculor., & arter. ramific.

triculorum latera valvulas arteriae aortae & pulmonalis urget, & aperit, plenoque rivo effluit: en ſyſtole, ex qua neceſſario diaſtole ſequi debet: quoniam ablata vi ſanguinis comprimente ventriculorum latera, coronariis arteriis contentus ſanguis, libere fluit in venas coronarias jam vacuas, fortaſſe in cava cordis, ſi injectioni anatomicorum induſtria in cordis fabrica tentatae fides habenda eſt: unde decreſcit latitudo, elongatur cor, & dilatantur ventriculi, ac fit diaſtole: ſed ſtatim in ipſos iterum deſcendens auricularum ſanguis, & motum circulationis per coronarias impediens, novam ſyſtolem producit, quae alterne cum diaſtole proſequitur, donec & mechanica cordis diſpoſitio perdurat; & modo dictae cauſſae alternative applicantur.

§. LXXIX. Quidquid adverſus hanc theoriam opponi poſſit, ſolidiſſimis experimentis evictum eſt, cordis motum excitari & accelerari non modo a ſanguine venoſo in auriculam dextram ejuſdemque nominis ventriculum deſcendente, ſed ab arterioſo quoque verſus cor renitente. Quoties enim arteria aorta vel pulmonalis ligatur, ut ſanguis in motu progreſſivo impediatur, & prin-

principio impellenti renitatur, ſtatim cor ad celeriores oſcillationes ſtimulatur: en quae expertus Cl. Albertus Haller ſuper hac re prodidit (*a*). *J' ai repeté les experiences d'Harvey; J' ai lié la plûpart des arteres d'un animal. La premiere eſt l'aorte, que j' ai lié tres frequemment a une petite diſtance de sa ſortie du coeur dans des anguilles, des grenouilles, des chiens, de chats & d'autres animaux. Il eſt étonnant combien elle s' enſle entre la ligature & le coeur, elle devient d'un rouge brillant, e s' allonge ſenſiblement a chaque pulſation; pendant, que le coeur eſt violemment agité par l' irritation continuelle de ſe ſang, dont il cherche inutilment à ſe debaraſſer. Cette ligature eſt une des cauſes, qui ſoutiennent le mouvement du ventricule gauche trés long tems aprés, que le droit a perdu le ſien, comme je l' ai amplement detaillé ailleurs.*

§. LXXX. *J' ai liè enſuite l' artere pulmonaire, ce qui ne ſe fait pas ſans beaucoup de difficultes; & je vû les memes phenomenes, qui ſe preſentent aprés la ligature de l' aorte; le ventricule droit ex-*

(a) Vide Deux Memoires ſur le mouvement du ſang, chapit. troiſieme ejuſd. Auctor. du mouvement du ſang arteriel.

trement plein , *& extremement agité* ; poſſent innumera alia huc referri , quae celeberrimus vir in modo indicatis locis , aliiſque produxit ; ut oſtendatur renixum ſanguinis arterioſi verſus cor , ejuſdem motum excitare , & accelerationem adaugere . Parum refert deinde , an motus illa acceleratio oriatur ab irritabilitate cordis , ut laudatus Haller arbitratur , an potius mechaniſmo a nobis expoſito . Sufficit , ut facti veritas exiſtat .

§. LXXXI. Si ſanguis igitur , qui in cava ventriculorum cordis penetrat ; & alter qui per coronarias arterias fluit , valet cordis ſyſtolem producere : quo celerius cauſſa haec in binas diviſa cordi applicatur ; eo celerius cor ad motum concitatur , & febrem producet : nec duplici cauſſa opus eſſe putarem , ut celerior cordis contractio producatur , influxu nempe frequentiori ſpirituum animalium , & reſiſtentia in ultimis arterioſis vaſculis orta . Quoniam ultima haec ſola horripilationem ac frigus in extremis corporis partibus producit , & cor ad celeriores contractiones ſtimulare poteſt . Ubi enim in ultimis arteriolis obſtructio fit : duo neceſſario ſequi debent . Primo ſanguis in arte-

riis

Digitized by Google

riis contentus quamvis fluidus ſit liquor, conis tamen arterioſis coercitus agit tamquam firmum corpus, & cordi per aortam renititur: unde frequentius majorique copia arteriae coronariae replentur: en prima cauſſa frequentioris ſyſtoles cordis. Quoniam vero ob impeditum ſanguinis tranſitum ex ultimis arteriolis in venulas, parum ſanguinis per venam cavam ad cor reducitur; ideo ventriculi debita ſanguinis quantitate minime implentur. Cor interim coronariarum ſanguine contractum parum in aortam ſanguinis expellit, parumque illam dilatat. Ideoque pulſum velocem producit, ſed parvum ſimul, ut in principio febris obſervari ſolet. Secundo ubi ſanguis arterioſus obſtructione in nonnullis vaſculis orta praepeditas invenit ſolitas circulationis vias, juxta hydraulicae leges fluit celerius, quo minorem invenit reſiſtentiam: per anaſtomoſes ergo ſuperiores locis obſtructis fluit per arterias liberas in venas, & acceleratur: quia velocitas ſanguinis, ut illa caeterorum corporum eſt in ratione compoſita ex directa impetus, & inverſa reſiſtentiarum; ideoque diminutis reſiſtentiis ob nonnullorum canaliculorum occluſionem, quos pertranſire de-

bebat

bebat antea ſanguis, accelerari debet, & multo celerius, majorique copia ad cor reduci, & latera ventriculorum magis premens, efficit integra evacuatione venarum coronariarum perfectam diaſtolem, quae ob nimiam plenitudinem, minuſque pondus ſanguinis in latera ventriculorum agentis effici non poterat: huic rectior ſyſtole ſuccedens, majoremque ſanguinis copiam in aortam pellens, incipit pulſus augeri, & febris aeſtus increſcere ob ictuum frequentiam, & magnitudinem: quibus partium fluidorum & ſolidorum adtritus increſcit: unde calor, & caetera phaenomena apparent, quae inferius explicabimus.

§. LXXXII. Eo magis hac theoria utor, quo eam cauſſis febrium remotis conſonam magis reperio: quoniam ſi aliqua umquam pororum conſtipatio in cute fiat, ut perſpirabilis materia, aut ſudor ad exitum paratus in ejus extenſione retardetur, ſtatim febris accenditur. Ad hujus generationem explicandam velociori ſpirituum influxui recurrere, ut cor ad celeriores contractiones exſtimuletur, hypotheticum videtur mihi. Verum adſerere, quod obſtructio in ultimis cutis vaſculis facta, ſanguinis arterioſi motum impe-

pediat: unde renitatur ille in cor; & quod venoſus acceleretur verſus idem, illudque ad celeriores oſcillationes provocet, luce meridiana clarius videtur mihi. Si quis velociter currat, videbitur ſtatim pulſus increſcere, & calor; nec non alia apparent ſymptomata, ipſaque febris accenditur, ut ipſe Swietenius adfirmat in commentariis ad Boerhaavium locis ſupra indicatis. Spiritus in auxilium vocare, hypotheticum utique eſt. Aſſerere vero, quod ob actionem muſculorum praepediatur motus ſanguinis progreſſivus, & diminuantur ſpatia percurrenda, & ſanguis a corde egreſſus celerius ad idem redeat, illudque ſupra jam explicato modo exſtimulet, poſſet jam nunc velut inconcuſſa veritas recipi.

§. LXXXIII. Quando pars aliqua inflammatur, ſtatim febris accenditur: cur non dicendum propter obſtructionem, ſanguinem in motu ſuo praepeditum cor ſive centrum totius circulationis praeter morem onerare, & ad celeriores contractiones ſtimulare; & potius ſpiritus advocandi ſunt, de quorum exiſtentia non ſatis huc uſque conveniunt Auctores? Argumenta haec videntur mihi ſatis evidentia, magiſque idonea ad febris generationem directe a cauſſis efficientibus

Digitized by Google

tibus explicandam ; ideoque hanc ſemper philoſophandi methodum tenui circa aegrotantes; & quamvis alii alia doceant : in curatione tamen omnes enixe incumbunt ; ut reſiſtentias in ultimis vaſculis efformatas evertant , & perfectam circulationem reducant . Tantum tamen abeſt , quin hoc loquendi genere actionem omnem nervorum e medio tollere velimus ; putamus enim a nervis exſtimulatis, praecipue in paſſionibus animi poſſe in motu ſuo cor mutari, & febres excitare . Tantum advertimus, non neceſſariam ſemper eſſe nervorum actionem ad febris generationem. Pro diverſa a corde diſtantia, & pro varia obſtructionis magnitudine excitari poſſunt febres vel particulares, ut in paronichiis & furunculis, vel univerſales & magnae: praeſertim cum obſtructio in primo genere vaſorum conſiſtit; vel puſillae, ſi vaſis lymphaticis haeſerit. Neque expoſita hactenus theoria Hippocratis auctoritate deſtituitur . Piaculum fortaſſe alicui videri poterit adſertum hoc noſtrum : quia Hippocrati ſanguinis circulatio , cui expoſita hactenus theoria nititur, numquam innotuit, prout noſtra aetate omnibus patet. Verum conſtantes naturae actiones ſemper eodem modo fiunt, at-

que

que exiſtunt : obſervatores oculatiſſimi, ut extitit Hippocrates, non omni tempore reperiuntur, ut illas rite rimentur. Et quod omni prorſus deſtitutus ratione hoc ego non aſſeram, ex ipſo colligi poteſt. Audiamus quaeſo clariſſimum virum de febris natura alloquentem : en quomodo libro de flatibus (*a*) loquitur. *Primum autem a communiſſimo morbo febrili exordium ſumam, & qui omnium morborum comes eſt, praecipue tamen ex inflammatione, & tenſione Abſceſſuum, quod ſatis indicant ſequentia offendicula : ſtatim enim cum inflammatione inguinum abſceſſus & febris conſequitur*. Et ut explicaret quomodo cum horroribus tremores corporis accidunt, ſic ſcribit (*b*) : *ſanguis enim praeſentis horroris timore perculſus concurrit ac penetrat per omne corpus ad locos maxime calidos. Hi enim ſunt ejus ſaltus. Decedente itaque ab extimis corporis partibus ſanguine, viſcera contremiſcunt, & carnes. Sunt autem quaedam corporis partes ſanguine plenae; quaedam vero exangues. Exangues itaque propter frigus non tremunt, ſed parumper commoventur ac palpitant cum calor ex eis defecerit. Sanguine autem*

(a) §. 7.
(b) §. 11.

tem abundantes propter ſanguinis multitudinem & tremunt, & inflammationes ſuſcitant. Nequit enim fieri, ut ſanguinis multitudo conquieſcat. Ecquis quaeſo hiſce probe conſideratis Recentiorum doctrinam de inflammatione & febri in Hippocratis oratione non inveniet? Ecquis paucis mutatis theoriam febris, quam modo explicuimus non reperiet? Plurima eſſent alia hic explananda, quae ne inſtituti noſtri limites praetergrediamur, omittimus. Si ſpecimen hoc theoriae noſtrae de motu cordis, & febris natura, ac generatione non diſplicebit, fortaſſe abſolutum tractatum publici juris reddemus, ibique pluribus explanatis, objectiones, quas plurimi promoverunt, praeſertim Dominus de Sauvages (*a*), explanantur. Interim adlatam theoriam morbo noſtro epidemico applicemus.

§. LXXXIV. Ex iis, quae capite ſuperiori de morbi natura dicta ſunt, jam patet febres omnes, quae epidemice apud nos graſſabantur, vel a putrido bilioſo, ventriculo, inteſtinis, ductibuſque biliaris contento, vel a craſſo ſanguine inertique lympha in circulatione praepeditis, vel ab iiſdem partem aliquam inflammantibus productas fuiſſe. Quoties enim, ut par-lo

(a) In Noſologia: claſſe 11.

lo ſupra obſervabamus, humores craſſi ad fines arteriarum ſubſiſtebant, cordi reniti neceſſario debebant; & venis contenti, ob eandem theoriam, celerius in ventriculorum cordis cavitates deſcendentes, & ejuſdem ſubſtantiam exſtimulantes, febrem continentem producere debebant. Haec autem ejuſdem ſemper indolis eſſe nequibat, pro varia enim a corde diſtantia, & pro diverſo vaſorum genere, in quibus ſubſiſtebant, variae naturae eſſe debebat. Ubi enim lympha primum in arteriolis tertii generis, ſive lymphaticis remorari incipiebat, febris aggrediebatur puſilla, lymphatica, quae ſub catarrhalis forma multos decipiebat: pulſus enim bonus ſe ſe oſtendebat, quia parum a naturali ſtatu mutatus. Circulatio enim per primum & ſecundum vaſorum genus paene libera erat; quoniam vero ex humorum circulatione in primo vaſorum genere, rubro nempe primario dependet; ideo pulſus bonus obſervabatur: humorum enim lymphaticorum renixus refractus nimis ad cor pervenit: reagit lympha in ſerum flavum: hoc vero in ſanguinem: hic denique in cor. Verum quoniam humores ultimi fibras fovent, nutriunt, ipſiſque vires conſervant, praepedito eorum mo-

tu vires deficiunt, & inertia in toto corpore ſubnaſcitur. Hinc in hujuſmodi aegris aderant laſſitudines ſpontaneae, dolores veluti rheumatici, & inertia ad actiones omnes: et febres horis veſpertinis praeſertim vires reſumebant; quia ſole occidente, ejuſque vi in atmoſphaeram, humanaque corpora deficiente, lympha in motu ſuo magis retardatur. Spraetae tamen hujuſmodi febres paullatim increſcebant; quia vitium in ſerum quoque flavum, ſive lympham primi generis ſerpebat. Quod quoties prae craſſitudine ſubſiſtebat, ipſum rubrum ſanguinem in primo vaſorum genere ſiſtebat: ideoque circa ſeptimum ab invaſione diem improviſa, & violenta ſymptomata apparebant. Sanguis enim ruber in vaſis majoribus praepeditus in motu ſuo, in debiliores partes derivabatur, cerebrum puta, pulmonem, meſenterium, viſcera uropoea &c., eaque mire laceſſebat, & laedebat. Unde affectiones comatoſae, aut deliria, difficultas ſpirandi, anxietas ſumma circa viſcera imi ventris, difficultas mingendi &c. aderant. Increſcente ulterius humorum ſtaſi petechiae prodibant, gangraena variis in locis accedebat. In hujuſmodi febrium genere frigus, & inſenſilitas partium aderat; &

fre-

frequentiſſime adoriebatur eos, qui lymphatica praediti erant temperie; aut aliqua cocochymia prius laboraverant.

§. LXXXV. Ubi vero ſanguis ruber, & ad inflammatoriam ſpiſſitudinem vergens in ultimis arteriolis rubris ſubſiſtebat; tunc alterius generis febres invadebant: ob immediatas & violentas vires cordi applicatas incipiebant cum calore, pulſu vibranti, & rubore per corpus omne diffuſis. Sanguis enim non modo ſtagnabat, ſed phlogiſtico ſtimulo arteriarum fibras tendebat quoque: unde arterioſi coni coarctabantur, & renixus, ac praeſſiones, ſive ſtimuli maximi cordi ſubnaſcebantur: ideoque violenta hujus oriebatur contractio, & ſanguinis propulſio. Ex hac lucta inter propellentis cordis, & arteriarum repellentes vires attritus maximus fluidorum, & ſolidorum, horumque ſimul diſtractio, & elongatio maxima oriebatur; ut laudatus Hallerus indicatis locis variis experimentis demonſtravit: unde calor, & rubor undequaque diffuſi apparebant: & ubi ſanguis e majoribus, ac validioribus arteriis in debiliora vaſa urgebatur, capitis puta pulmonis &c. vel inflammatorii ſecundarii morbi oriebantur; vel

vel arteriarum capitis diſtentio, pulſatio, & dolor capitis vehemens ſubnaſcebatur, ex quibus intima cerebri communiſque ſenſorii oeconomia turbata, delirium, & furor in nonnullis excitabatur: aliis vero locis propria ex laeſa functione procreabantur ſymptomata, quae quoniam quiſque intelligit, omittimus.

§. LXXXVI. Verum neceſſarium non ſemper videtur, per omne genus aliquod vaſorum ſtaſis fieri deberi, ut febris excitetur: poteſt enim in aliqua tantum parte conſiſtere: quae ſi parva fuerit, auget tantummodo circa ſtagnationis locum vicinarum arteriarum motum; ibique tantum orta circumſcribitur febris; circum enim circa rubor & calor & pulſus perſenſiuntur. Hujuſmodi particulares febres obſervantur in paronichiis, circa furunculos, aliiſque in locis, ubi aliqua de cauſſa ſtagnat ſanguis. Ab hiſce non valde diverſae fortaſſe erant particulares febres illae, quae circa caput, aut viſcera naturalia in nonnullis aegris obſervatae fuerunt, ex ſingulari fortaſſe vaſorum ſtrangulatione ortae: quae ubi obſtructio magis ſerpebat, febris intenſive & extenſive per corpus increſcebat. ubi autem obſtaculum cordi, & circulationi natum,

tum, ita conſtituatur, ut licet non valde diffuſum exiſtat: tamen quammaxime humorum qnantitati opponatur; tunc poteſt febrim univerſalem producere. Hujus generis videntur mihi reſiſtentiae illae, quae in viſceribus imi ventris praeſertim hepate generantur: ubi enim putrida bilis in poris biliariis vel ventriculo & inteſtinis contenta venae portarum, meſeraicarum, ac gaſtricarum ramos comprimit, atque convellit; ut ſanguis paene omnis, qui in abdomen deſcendit, quique per hepar in cavam, & cor redire debet, in motu ſuo praepediatur; tunc licet vitium in parte tantum conſiſtat, poteſt tamen febrim univerſalem producere. Haec vero minime continens eſſe ſolet. Febris enim impetus dato tempore poteſt partialem obſtructionem excutere, & reſeratis vaſculis ac libera undique reddita ſanguinis circulatione, cedit febris per aliquod temporis intervallum; iterum reditura novo bilis, aut aliûs materiae cumulo redeunte. Hujuſmodi erant febres, quae ex vitio viſcerum naturalium praecipue hepatis, & bilis oriebantur, quaeque caeteris frequentiores erant. Quoniam vero in aegris noſtris putredo & acredo nimia aderat; ideo exſtimulati plexus

ner-

nervei viſcerum naturalium convulſiones inducebant, ut ex ſingultu, inani vomendi conatu, borborygmis, ventris intumeſcentia, urina percolata, aut omnimode impedita cognoſcebantur: quae quidem aliquando paris vagi, & magni ſympathetici ope ad caput, & ſpinalem medullam propagabantur, & convellebantur nervi ex medulla oblongata: unde aurium ſibili, truces oculi, labiorum tremores, aliaque ad caput ſpectantia ſymptomata oriebantur, ſimulque & artuum tam ſuperiorum quam inferiorum tremores aderant. Imo & ex eorumdem viſcerum naturalium vitio non vero cordis, ſaepe ſaepius oriebatur animi deliquium; quoniam obſervavimus hoc ſymptoma tunc praecipue obortum fuiſſe, cum circa ventriculum ac duodenum inteſtinum turbas prius, irregulares motus, ac ingratum ſenſum cum ſumma anxietate conjunctum perſenſiebant aegri, praeſertim cum alvum exonerare tentabant.

§. LXXXVII. Ad ſymptomata quod adtinet, reliquum eſt, ut de petechiis, gangraena & renum ac veſicae affectionibus, quae frequentiſſimae erant, dicamus. De petechiis aliqua indicavimus, reliqua breviter nunc adducere curabimus.

bimus. Hae non ejuſdem generis in omnibus erant; quaedam enim rubrae rotundae, magis minuſque latae prodibant circa quintum, ſeptimum, aut nonum; quaedam aliae inſtar veſiculae ſero pellucido, aut flavo repletae, rubro circulo ad baſim conterminatae apparebant. Aliae nullam regularem figuram ferebant; & utplurimum peſſimi coloris erant, cinerei, lividi aut nigri. Primi generis petechias fere obſervavi in aegris ſanguineo temperamento praeditis, & aeſtuante nimis febre vexatis; quibus primis diebus non ſufficiens ſanguinis copia educta fuerat: ſecundi vero generis in iis praeſertim vidimus, qui ex pororum conſtipatione, ac impedita nimium traſpiratione, & ſudore in morbum inciderant. Tertii generis tandem petechias conſpeximus in iis, in quibus maxima putredo aderat: quam ex varicolori vomitu, putridis alvi foecibus, urina, peſſimoque, quem ſpirabant aegri, odore colligebamus. Hae tardius, quam primi, & ſecundi generis prorumpebant. Primi generis non adeo mali ominis erant: ubi enim ſubito, morbo occurrebatur, evadebant aegri: & ejuſdem naturae ac praeſagii erant illae ſecundi generis. Non ejuſdem tamen cenſus erant illae

Digitized by Google

tertii generis, quae utplurimum mortem minabantur. Primas a vi vitae nimis efficaci ſanguinem a centro ad circumferentiam pellenti ortum habuiſſe putavi: ſecundas ex eadem vi, & abundantia ſeri, & lymphae ab impedita tranſpiratione nimium aucta: tertii tandem generis ab peſſima humorum craſi, & vis vitae reſolutione. Primi enim generis pulſum magnum vibrantem, celerem, & calorem maximum praeſeferebant; mediocritate in hiſce gaudebant ſecundi generis petechiae. In tertio vero genere pulſus erant exiles & tardi, extremitates frigidae; & inertia ſumma ad actiones aderat. Has non ſemel ex ſuppreſſa viſcerum naturalium putredinis expulſione obortas vidi: ſtatim ac enim putrido-biliofa diarrhaea ſiſtebatur, intumeſcebat venter, & murmurantibus, ac palpitantibus hypochondriis petechiae peſſimi moris prodibant: regurgitantes fortaſſe tunc putridi humores in ſanguinem, illumque coinquinantes circulationi, & vitae muniis ineptum reddebant: unde in cute ſubſiſtens petechias, vibices, puncticula peſſimi moris efficiebat, apprime ut ex Hippocrate monet Swietenius: *Anxiis alvi turbatae ſup-*

preſ-

preſſio, ſcribit divus Senex, (*a*) *brevi velut culicum puncturae efflorescunt*, ut aliorum ſimilia obſervata omittamus.

§. LXXXVIII. Ad gangraenam quod adtinet pluribus in locis obortam vidimus. Partes gangraena obſeſſae aliquando externae, aliquando internae fuerunt. Inter externas gangraena frequentiſſime deprehendebatur regio oſſis ſacri, quae quidem ex decubitu potius oriri videbatur: cum enim aegri pluribus diebus ſupini ei regioni inſiſterent innixi, ſitus commoditate allecti: facile carnes inter os ipſum, & lecti planum comprimebantur; unde remoratus ſanguis phlogoſim efficiebat, cui ni ſubita medela occurrebatur, ſtatim gangraena accedebat: hanc vero ex ſimplici decubitu ortam ideo arbitratus ſum; quia primis remediis avertere difficile non erat: de caeteris vero non idem ſermo erat; quoniam in nonnullis ex violenta nimis febri, quae partes vehementer primo inflammabat, oriebatur; quaeque irreparabili nece partes cum machina tandem peſſundabat: aliquando a nimia ſanguinis acri, & gangraenoſa diatheſi originem ducebat; quae frequen-

(a) In Coacis praenotion. n. 564.

Digitized by Google

ter non a partium peculiari vitio, ſed ab univerſali humorum peſſima craſi oriebatur, pluribus oſtendere poſſem: petechiae utique in pluribus lividae, & gangraenoſae erant, quod certe ab univerſali vitio repetendum eſt. Poſſem plurimos peculiares caſus adducere, ut adſerti veritatem magis confirmarem; placet tamen aliis omiſſis unum tantum referre. Honeſtiſſima ſanguineo-bilioſae temperiei foemina ſolita conſtitutionali febre infirmabatur: acceſſiones, quae quotidie invadebant, violentiſſimae erant: pluribus ſemper incaſſum tentatis, circa decimum quartum in ſinixtra ex clunibus ſatis lata apparuit gangraena, adſiſtentes objurgavi de non ſatis adhibita cura: credebam ob decubitum & ipſam ortam fuiſſe: dein adhibita opportuna medela imperavi, ut in oppoſitam partem recumberet: verum poſt paucas horas jam & alia paene tota ſimili gangraena obſeſſa fuit: in hac utique non ex decubitu, ſed ex univerſali vitio ortam fuiſſe putandum eſt. Hiſce poſitis non admodum difficile videtur internae gangraenae generationem intelligere: in primis enim viis, quae ipſam generandi, vim maximam habent, omnia praeſto erant: acria irritantia

pu-

putridinoſa ipſas occupabant, quae & ſanguiferos canales mire irritabant, & nervoſos plexus vehementer convellebant; quorum primi contracti, obſtructique; alii tandem reſoluti primo inflammationem, deinde gangraenam procreabant. Neque diverſus videtur ſermo circa affectiones renum & veſicae: convulſiones enim & conſtrictiones ſyphuncolorum renalium, ob quas urina aut ſecerni non poterat, aut tenuis & percolata nimis exibat, oriri poterant ſtimulo per conſenſum ab affectis plexibus nerveis hepatis, ventriculi, inteſtinorum communicato; poterant & immediate excitari. Humores enim acres ſicut caeteras partes irritabant, ita & renes irritare poterant. Pari modo de earundem partium inflammatione & gangraena ratiocinandum puto. Eadem enim vis, quae alias partes inflammabat, poterat renes & veſicam inflammare; imo potiori jure; quoniam ſuppetias aliquando dabat quoque urina acris & putrida: unde non ſemper affectiones illae a veſicantium abuſu oriebantur, licet oriri poſſint; bene vero a peculiari vi morbi procreabantur. Hactenus expoſita pro ſymptomatum enucleatione ſufficere poterunt: ſi quid omiſimus, facile ex univerſali morbi jam

jam expoſita natura quiſque intelligere poterit .

§. LXXXIX. De ſecundariis morbis, vel aegrorum ſtatu poſt morbi ſolutionem ſuperſtite, aliqua adhuc addere hic, non taedet. Datum aliquando miſeris erat, primum morbi impetum ſuperare; minime vero in integrum vincere. Natura aliquando morbi vires evertebat ; non tamen ſemper a corpore per loca convenientiora eliminabat : ſed tantum in particulares partes propellebat. Feliciores erant ii, quibus ad parotides, ad crura, artus ſuperiores, vel ad alias externas corporis partes metaſtaſis ſuccedebat; feliciores inquam, non quod devicto morbo ſtatim curabantur; ſed quod ſublato evidenti periculo chyrurgorum induſtria curari poterant : quoniam in externis hiſce affectionibus etiam pervicax morbi natura ſubſiſtebat ; plurimum enim perpatiebantur antequam priſtinam ſanitatem obtinerent. Infeliciores vero erant ii, qui poſtquam cum morbo 14., 21., dierum ſpatio luctati fuerant, metaſtaſis ad internas partes ſuccedebat, pulmones puta, aut viſcera naturalia. Horum plurimi morbi vires evaſiſſe viſi ſunt, nonniſi, ut extremum fatum, quod primo morbi im-

impetu ob mentis oppreſſionem cernere non poterant, ſerena deinde mente conſpicerent. Acres enim & cauſticae morboſae materiae reliquiae ubi in pulmones, hepar, meſenterium, renes, veſicam, aliaque viſcera propellebantur, ipſa obſtruebant, inflammabant, exulcerabant; ita ut paullatim conſumpti ſummum diem obirent. Ii vero, quibus morbus ſolvebatur; & per convenientiora loca ſeceſſum nempe, urinam, aut ſudorem educebatur, adeo languidi, viribuſque deſtituti erant; ut facile levi de cauſa morbus recrudeſceret: plurimi enim, quia ſatis citò fami nimium auſcultarunt; aut quia aeri intempeſtive ſe expoſuerunt, iterum in morbum inciderunt; & hi utplurimum interibant: quod ſi recidivam effugere datùm erat, priſtinam ſanitatem nonniſi ſumma induſtria, ac moleſto ſex rerum non naturalium regimine obtinebant. Nonnulli enim ob ſpaſmos, quos in capitis regione perpaſſi fuerant, amentes per aliquod temporis intervallum degebant. Alii ob ſumma in imi ventris viſceribus pathemata, adeo labefactata viſcera chylopojetica habebant; ut non modo appetitum omnem ſumme proſtratum haberent; ſed neque chymificationem, neque chylificationem, ex faci-

cile licet concoctionis cibariis, medica etiam arte adjuti, conficere potuiſſent: unde ſumma aegris patientia, maxima prudentia Medicis in convaleſcentia opus erat.

§. XC. Silentio tandem minime comprimendus videtur Meteoriſmus; quoniam frequentiſſime in noſtra epidemia obſervatus fuit; & quoties invadebat, mali ominis utplurimum erat; etſi confirmabatur, mortem certo inducebat. Multiplex pro more ſuo (*a*) extitit, tum ratione loci, tum ratione cauſſae. Ratione loci; quia aliquando circa ventriculum, aut hypochondria conſiſtebat, quae adeo inflata, & tumida erant, ut reſpirationem impedirent; & ſyncopem ad minimum etiam aegri motum procrearent. In foeminis non hypochondriacus modo, ſed hyſtericus quoque erat; & aliquando totius abdominis extitit; ita ut tota ejus extenſio mire tumida & elevata appareret. Frequentiſſime ejus cauſſae erant flatus ex putreſcente materia exhalantes, ut ſupra obſervatum eſt, cum de ructibus ſermo fuit, qui ob irritatas ventriculi & inteſtinorum tunicas coerciti neque per ſuperiora,

(a) Vide Noſologiam Methodicam domini des Sauvages p. 718.

Digitized by Google

ra, neque per inferiora exeundi viam invenientes ventriculum, & inteſtina dilatantes, ipſum producebant. Verum praeter haec, alia de cauſſa meteoriſmus oriebatur. Ut enim laudatus modo dominus des Sauvages monet ibidem: *aliquando eſt ſymptoma ilei, enteritidis, & plurium morborum acutorum, praeſertim tritaeophiae, amphimerinae, ſynochi, ubi magnus putridae cacochyliae apparatus cum inflammatione ſyſtrophica, vel gangraenodea, adeoque vel cum dolore, & tenſione maximis, aëre inteſtinali rarefacto ob calorem; vel ſine dolore, ob gangraenoſum viſcerum ſtatum, & expanſionem aëris a putredine oriundam; qualis meteoriſmus in cadaveribus aqua diu merſis, aut ſoli expoſitis obſervatur*. Quam bene horum plurima meteoriſmo aegrorum noſtrorum conveniebant, ſciunt Clinici. Nonnullis enim ſubnaſcebatur meteoriſmus, ſive imi ventris intumeſcentia nullo dolore conjuncta, ſed ſimplici tenſione comitata: Nonnullis vero cum intumeſcentia aderat dolor, & phlogoſis; & poſt inflammationem, accedente gangraena, reſolutis inteſtinorum tunicis, aër in ipſis exiſtens ob innatam elaſticitatem, vel exhalantes ex putredine vapores mirum in modum inteſtina, & ventriculum extendebant; &

tunc, licet dolor remitti videbatur, de aegri vita actum jam erat. Ideoque recte laudatus modo dominus de Sauvages loco citato proſequitur: *Ille meteoriſmus in acutarum febrium vigore peſſimum eſt ſymptoma; tum quia uſum catharticorum maxime neceſſariorum interdicit; tum quia materies putridas, aut fermenteſcentes, noxioſque ſuccos in primis viis haerentes ſupponit; hinc phlogoſis viſcerum, eorum necroſis, ſimulque flatuum expanſio:* Nihil denique hic addimus de vermium generatione, & expulſione in noſtris aegris tam frequenti; quia ſatis apud omnes comperta eſt.

C A P U T VIII.

De Morbi Curatione.

§. XCI. TEmpus jam nunc videtur, ut ad exponenda auxilia adcedamus, quibus epidemicus ac teterrimus morbus divino favente Numine profligatus eſt: Haec duplicis generis fuerunt: univerſalia quaedam & oeconomica: ſpecialia quaedam alia, & abſolute medica. Primi generis praeſidia tendebant urbem

ex

ex iis liberare, quae contagionem, ac morbi ulteriorem propagationem producere & fovere poterant: ſecundi vero generis reſpiciebant ſingulorum aegrorum curationem. Ad univerſalia quod adtinet, ut aëris quaecunque infectio tolleretur, ſuprema inclyti Regis auctoritate mandatum fuit, ut pauperes, qui debito victu carebant, & vitam mendicando trahebant, determinatis quibuſdam locis ſecluderentur, & debito cibo alerentur; qui vero morbo laborabant ad Noſocomia ducebantur; ideoque nova, & in puriori aëre ſumptibus etiam regiis extructa fuerunt; proviſumque quoque fuit, ut non modo publici ſed privati quoque aegri, quibus res anguſta domi neceſſaria ſubminiſtrare non poterat, eo ducerentur: ſicque brevi plurium expurgata fuit urbs, qui vel peſſimis halitibus aërem inquinabant, vel pietatem ubique excitantes ſanorum corpora variis animi paſſionibus vexabant: quamplurimi ne clauderentur, redierunt in regiones, ex quibus advenerant; reliqui probe alimentati, & curati fuerunt. Defunctorum cadavera extra urbem deportabantur, debitiſque locis ſepeliebantur; imo & ſepulcrorum in urbe, uti mos eſt, extructorum ſpiracula, ne

R 2 quid,

Digitized by Google

quid, quod aërem coinquinare poterat, expiraret, providis juſſis obtecta fuerunt; ſicut & ſordibus omnibus, quoad fieri potuit, luſtrata fuit urbs. Nec parum oeconomicas haſce diſpoſitiones profuiſſe compertum eſt; quoniam ſtatim ac aegri commode magis in Noſocomiis diſtributi fuerunt; & multitudine ac confuſione ſublata puriorem aërem reſpirare ceperunt, ac adminiſtrorum exactiorem adtentionem obtinuerunt, ſtatim inquam, in melius profecerunt. Mors non adeo deſaeviit, & paulatim receſſit. Deinde cum morbum ex peſſima tritici qualitate vires accipere ſuſpicatum eſſet, Regiis quoque juſſis ab peritiſſimis ac prudentiſſimis Medicis examinatum fuit: cumque magna parte corruptum inventum eſſet, in mare projectum eſt: ſicque ubertate reſtituta, plurimiſque cauſſis, quae morbum procreabant, aut fovebant, ſublatis, priſtina ſalubritas in urbem rediit.

De Auxiliis Medicis & primo de vomitoriis.

§. XCII. Ad ſingularia vero, quod adtinet, ex pharmaceutico fonte petita auxilia, illa nempe, quae ſingulorum aegrorum curationi proſpi-

ſpiciebant, innumera paene tentata ſunt, utilia pauca fortaſſe experta. Cum omnes fere aegri rigore, nauſa, vomendi conatu febricitare inciperent; & a quamplurimis os amarum perſentiretur; & lingua viſcida cruſta eſſet obducta, quae omnia putridum bilioſum in primis viis oſtendebant: ideo prima indicatio videbatur, ut primae viae repurgarentur: prudentiores ergo medici, ut huic ſatis facerent, curationem a vomitorio ex pulvere radicis Ipecacuanhae parato ordiebantur, juxta illud Celſi monitum: *At vomitus ut in ſecunda quoque valetudine ſaepe neceſſarius bilioſis eſt, ſic etiam in his morbis, quos bilis concitavit. Ergo omnibus, qui ante febres horrore, & tremore vexantur, omnibus etiam cum quadam hilaritate inſanientibus, & comitiali quoque morbo oppreſſis, neceſſarius eſt* (*a*); quia ut ante ipſum ſagaciſſimus Medicinae parens Hippocrates monuerat, (*b*) *quamdiu bilis ſublata, incocta, & minime contemperata fuerit; nulla arte, neque dolores, neque febres finientur:* cui quidem ſententiae mire conſonare videntur, quae expertus ſcribit Cl. Swiete-

(a) Lib. II. cap. XIII.
(b) Lib. de veter. Medicin.

Google

tenius (*a*) *corrupta bilis circa praecordia haerens* . . . . *enormes febres accendit* , *numquam curabiles*, *ni putridus ille fomes tolli poſſit* . Vomitoriorum in hujuſmodi morbis , quae putridum apparatum in primis viis praeſeferunt, quanta & qualis ſit virtus & efficacia, omnium aetatum clariſſimi Medici poſteris ſuis explicare, ac demandare maxime ſtuduerunt . Placet nonnullorum aliqua huc monita tranſcribere: en ergo de vomitorii uſu & viribus quomodo explicatur elegantiſſimus Fernenelius . *Facilis & moderata vomitio ſaluberrima eſt* , *& purgationum omnium praeſtantiſſima* . *Noxios quippe humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit & vacuat ; omnem* , *quae in ventriculi capacitate in ejuſve tunicis haeret*, *illuviem imprimis expurgat ; e praecordiorum membranis*, *e cavis jecoris ac lienis*, *& ex pancreate*, *omnis generis ſupervacuos humores ſinceros elicit* , *quos plerumque nec hiera* , *nec aliud vehementiſſimum ullum etiam frequens pharmacum in alvum exturbare poteſt* (*b*); & Cl. Boerhaavius , qui nulli ſecundus in omnibus, quae edidit, umquam extitit, en quae de vomitorii vi , aphoriſtica ſua

(a) In commentariis ad Aphoriſm. Boerhaav. §. *99*.
(b) De morbis eorumque cauſſis lib. III., Cap. III.

ſua phraſi protulit: *per vomitus ſolvuntur cuncta tenacia, concutiuntur obſtructa, expelluntur ſtagnatia, unde mirabiliter proſunt* (*a*): ejuſque eruditiſſimus ac prudentiſſimus Auditor Swietenius de nauſeae curatione agens, poſt varia ſic explicatur: *ubi vero vel tanta copia eſt corruptae bilis, vel adeo intenſa jam ejus malignitas, ut his emendari nequeat, ſed a quovis aſſumto quantumvis gratum etiam fuerit, augeatur nauſea; nihil ſupereſt, quam ut vomitorio dato ſurſum expellatur* (*b*): ut ſimilia maximeque utilia dogmata Riverii, Freindii, Hoffmanni, Huxami, aliorumque ſilentio comprimamus: quae quidem monita non improfigua in aegris noſtris experti ſumus; quoniam revera in quampluribus exhibitum vomitorium mirabiles putridi bilioſi per ſuperiora, cum non parvo aegrorum levamine, evacuationes promovit. Aliquando Ipecacuanhae radici, qua pro vomitorio utebamur, ſalis tartari vitriolati grana aliquot addebamus; & ut tenacia incideremus; & ut ſimul per inferiora egeſtiones aliquas obtineremus. Docuit enim Hippocrates *Febres lypirias*, quae ex bile utpluri-

(a) §. 1244.
(b) In comm. ad aphor. Boerh. §. 644.

rimum originem ducunt, *nonniſi per choleram effuſa bile ſolvi*. Et celeberrimus Princle, cujus opus de morbis caſtrenſibus prae maxima utilitate, quam & Medicis, & aegris afferre poterat, ut uſui noſtro magis accomodatum foret, ex anglica lingua in elegantem hetruſcum ſermonem vertit Cl. noſter Franciſcus Seraus, obſervavit (*a*), tunc praecipue vomitoria profigua maxime extitiſſe, cum per ſuperiora & inferiora ſimul abundantem putridae bilis evacuationem promovebant: ſimilemque poſteris commendavit cel. Sthalius, inquiens, *curatio*, *quae materiae in his febribus peccanti ſufficiat*, *nulla alia eſſe poteſt*, *quam emetico-cathartica* (*b*). Et revera ſimilia nobis obſervare licuit; quoniam quoties per vomitorium & ventriculus bilioſo vomitu repurgabatur; & inteſtina putrida ac bilioſa materia deonerabantur, aegri utplurimum in melius procedebant.

§. XCIII. Ubi aegri ſanguinei erant temperamenti, & capitis dolore vehementer vexati, poſtero die Sanguinis miſſionem, & quidem largam, ſi ſanguis ater nimis, & facile concreſcens pro-

(a) Malatie dell' Armate P. III. Cap. IV.
(b) De febre bilioſa §. 46.

Digitized by Google

prodibat, ex pede, aut brachio imperabant. Verum ſi aegri ſanguinei fuerant temperamenti, & ſymptomata nimiae plethorae urgebant, juxta aliud Celſi monitum: *oportet prius levare aegrum, poſtea perpurgare:* primo edicebant ſanguinis miſſionem; poſtero vero die vomitorium imperabant. Quoniam auſpicato ſic plures incoatae curationes, iiſdem auſpiciis a prima morbi aetate ad finem uſque perductae fuerunt; ideo vomitoriis, & ſanguinis miſſionibus magna exiſtimatio conciliata eſt; ita ut ſtatim ac aliquis infirmabatur, ipſi vel a Medico, vel ab aliis alterius licet ordinis, vomitorium ediceretur; imo ſi Medicus illud principio morbi omittebat; & morbus ſummo aegri fato tandem finiebatur, illatae mortis eumdem criminabantur. Hinc factum, ut indiſcriminatim vomitoria, & aliquando repetitis vicibus, aliquando Vagneri methodo exhiberentur. Ex hac tumultuaria, & imprudenti vomitoriorum exhibitione plura, & incongrua oriri viſa ſunt ſymptomata; imo plures aegri vomendi conatu ſummum diem objerunt. Hinc conciliata exiſtimatio, decreſcere paulatim incepit; & tandem in contemptum adeo verſa eſt, ut pruden-

Digitized by Google

tiores Medici famae ſuae conſulentes in vomitorii exhibitione trepidarent quoque.

§. XCIV. Si licet tamen, quomodo circa remedii hujus exhibitionem nos geſſimus, quid obſervavimus, ac qua tandem conſtanti methodo propinavimus, indicare: candide fatemur nos etiam illud aliquando bis, aliquando Vagneri methodo cochleatim pluribus vicibus exibuiſſe. Verum obſervavimus, nec in omnibus bene ceſſiſſe, nec repetitum plurimum profuiſſe, imo aliquando nocuiſſe. Conſtans obſervatio nos docuit, iis, qui non adeo elaſtici erant temperamenti, quibuſque craſſa humorum ſaburra aderat in primis viis, nullo contraindicante exiſtente exhibitum vomitorium mire contuliſſe; & quoties ob cruditatem primo vomitorio materiae peccantis eductio obtineri non poterat; tunc poſt ejuſdem debitis remediis promotam coctionem, de qua paullo infra dicemus, refracta doſi repetitum, aut Vagneri methodo exhibitum, numquam concepta ſpe nos defraudaſſe: primas enim vias repurgabat facile; & morbi vires infringebat brevi. Non ſecus ac ſibi accidiſſe monuit toties laudatus Swietenius: *probe memini*, inquit, *cum poſt fervidiſ-*

ſi-

Digitized by Google

ſimam aeſtatem febres bilioſae epidemicae graſſarentur, in quibus moleſta nauſea, & vomitus fere ſemper aderant, me aliquoties dediſſe ſtatim vomitorium abſque multo levamine, ubi autem per unum alterumve diem, oximelle, vel ſimilibus magna aquae copia dilutis uſus fueram, ſponte ſaepe vomitu excutiebatur corrupta bilis inſtar glutinis fere ſpiſſa, vel leni vomitorio ſecunda vice exhibito facile expellebatur (*a*). Verum iis, qui elaſtici erant temperamenti, cholericiſque paſſionibus nimis obnoxii, & agitati antea fuerant; & in quibus morbus potius quam a craſſa materia, a bile nimis acri, exaltataque putredine, aut vicinorum viſcerum obſtructione, inflammatione, convulſione, ut capite ſuperiori indicatum fuit, originem & vires trahebat, vomitorium nocebat potius, quam levamen aliquod adferebat: in hiſce lingua nihil paene viſcidi oſtendente perpetuus amaroris ſenſus aderat, qui plures decipiebat, ut vomitorium iterato exhiberent. Verum nova vomitorii actione nihil ejiciebant; e contrario convulſiones excitabantur, ſingultus nempe, vel aliûs generis; & morbus ex irritatione novas veluti vires reſume-

(a) In comment. §. 644.

mebat; & aliquando vomitorii conatibus alvus conſtringebatur, venter intumeſcebat, & tendebatur; & acredine bilis exſtimulata inteſtina obmurmurabant, nihil alvo ejiciente: unde recte monet cl. Boerhaavius falſum aliquando eſſe illud: *vomitus vomitu curatur* (*a*); ideoque prudentiſſime, Swietenio obſervante, regulam hanc limitavit Hippocrates. Dum monuit, tunc vomitum vomitu curari, ſi una cum vomitu eluantur illa, quae vomitum faciunt (*b*). Videbatur in hiſce bilis, vel putrida materia volatilis reddita, & in ventriculi ac inteſtinorum tunicis ſita, morbum producere, quae ideo vomitoriis evacuari non poterat. Hiſce ergo obſervationibus monitus in hujuſmodi aegris vomitorium vel minime exhibebam, vel ſaltim refracta doſi, vel vomitorii loco oleum optimae naturae cum pauco limonis ſucco exibebam, non parva tamen copia. Hoc remedio ſaepe obtinebam, ut abſque ſumma irritatione vomerent aegri, repetitis doſibus ſingulo mane ſolvebatur alvus, inteſtina emolliebantur; & morbus ſi ſtatim non cedebat, ſaltim novas vires minime reſu-

(a) §. 659. in aph. de cognoſcendis & curandis morbis.
(b) De locis in homine.

Digitized by Google

ſumebat. A vomitorii exhibitione pariter me abſtinui in iis, quibus nauſeam, & vomitum ab hepatis, vel aliûs viſceris inflammatione oriri, ex ſignis colligebam: in iis enim vidimus ab imprudenti vomitorii exhibitione, omnia in pejus ceſſiſſe, non ſecus ac ſydenhamus ſibi accidiſſe narrat (*a*). Unde curationem methodo antiphlogiſtica proſequebamur.

De ſanguinis miſſione.

§. XCV. Ad ſanguinis miſſionem quod adtinet: vehementes capitis dolores deliriis ac perpetuiis vigiliis conjuncti, aliquando ſomnulentia cum maximo faciei rubore, aeſtuatio totius corporis, pulſus duri, & aliquando vehementer oſcillantes aperte ſatis illam expetebant, juxta Celſi monitum: *ergo vehemens febris, ubi rubet corpus, plenaeque venae tument, ſanguinis detractionem requirit* (*b*): ſanguis deinde ex vena emiſſus ater, & concreſcens probe celebratam fuiſſe confirmabat; ideoque *incidenda ad medium vena eſt*, in-

(a) Sect. II. Cap. 2.
(b) Lib. II. Cap. 10.

Digitized by Google

inquit idem Celſus (*a*), *ex qua cum ſanguis erumpit, colorem habitumque ejus oportet adtendere: Nam ſi is craſſus, & niger eſt, vitioſus eſt, ideoque utiliter effunditur: ſi ruber, & pellucet integer eſt: eaque miſſio ſanguinis adeo non prodeſt, ut etiam noceat: protinuſque is ſupprimendus eſt*; quare utplurimum juſſae ſanguinis detractioni praefui; ut, & an recte inſtituta fuerit, cognoſcerem; & quouſque extendenda erat, praeciperem. Optimae enim rei omnis abuſus peſſimus ſemper extitit.

§. XCVI. Revera celeberrimi hujus in medicina auxilii, abuſus aliquis factus fuiſſe viſus eſt mihi: vel cum indiſcriminatim omnibus vena aperiebatur, vel cum pluries, vel cum in omni morbi tempore non pauca ſanguinis copia detrahebatur: cum veteres plurima & prudentiſſima circa remedii hujus uſum tradiderint praecepta. Celſus equidem inquit (*b*). *Tenujoribus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem ejuſmodi ſubſtinent, celeriuſque ea, ſi nimium eſt pinguis, aliquis affligitur*. Et circa tempus eodem loco haec monet. *Si morbi ratio patiatur ſanguinis detractioni*

(a) Ibidem.
(b) Lib. Cap. 10.

Digitized by Google

ni tempus optimum eſt dies adverſae valetudinis ſecundus aut tertius. Sed ut aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic numquam utile poſt diem quartum eſt, cum jam ſpatio ipſo materia & exhauſta eſt, & corpus corrupit, ut detractio imbecillum id facere poſſit, non poſſit integrum.

§. XCVII. Fateor me aliquando hoſce Celſi limites, Hippocratis auctoritati innixum, qui Anaxioni octavo venam incidi juſſit, non adeo ſcrupuloſe obſervaſſe; ſed ita praetergreſſus ſum, ut eos tranſiliiſſe minime viderer. Quoties enim totius corporis cauſſà ſanguinem mitti jubebam; toties & primo, & ſecundo, & tertio die id feci; raro quartum praetergreſſus ſum. Quoties vero alicujus partis gratia; toties & ſeptimo, & nono, & undecimo ſanguinem mitti praecepi, non tamen ex magnis venis, nec magna copia: ne ſublatis vitae viribus aeger ad ſuſtinendas morbi vires impar reperiretur. *Nihil enim*, Cl. Swietenio advertente, (*a*) *magis ad firmiorem curationem conducit, quam ſi firmae fuerint aegri vires: illae ergo omni ope ſervandae ſunt.* Quare ita me geſſi, ut aliquando primo morbi die

(a) In comment. ad aphor. 598.

Digitized by Google

die poſt exhibitum vomitorium, vel aliquod purgans, vel hoc ſepoſito, ſi plethora turgebat, ſanguinis miſſionem ex brachio, vel ex pedis vena in adſuetis, vel foeminis imperarem; vel ſecundo peracta prius vel per ſuperiora, vel per inferiora purgatione: & ſi totius indicatio poſt primam emiſſionem adhuc vigebat, iterato edicebam ex magnis venis, magnoque vulnere ante quartum. Poſt hunc diem cum methodo noſtra jam ſufficiens ſanguinis copia educta eſſet, ſi adhuc capitis dolor, vel oppreſſio ſine intermiſſione perſiſtebat; tunc vel cucurbitulis dorſo applicatis, vel aperta jugulari, vel hyrudinibus oſſibus petroſis, vel hoemorrhoidibus applicatis, vel cucurbitula occipiti appoſita, vel vena frontis aut temporum aperta, diſcreta tamen doſi ſanguinem detrahi jubebam. Verum tunc non ex toto, ſed ex parte ſanguinem detrahebam, apprime ut Celſus ipſe monet (*a*). *Mitti vero is debet, ſi totius corporis cauſſa ex brachio: ſi partis alicujus ex ea ipſa parte, aut certe quamproxima: quia non ubique mitti poteſt, ſed in temporibus, in brachiis, juxta talos.* Et candide fatendum eſt, plurimos emiſſo ex jugulari ſanguine, ex orci faucibus edu-

(a) Lib. II. Cap. 10.

Digitized by Google

eductos fuiſſe. Aucto enim per febrem cordis motu, ſanguis, cl. de Sauvages oſtendente (a), majori impetu carotides ſubit, quae juxta aortae directionem in caput tendunt, quam caeteras, quae ſtatim ab ea directione deflectunt; ideoque cerebri vaſa turgida magis reddebat; qui quidem major influxus in vaſa cerebri in aegris noſtris magis increſcebat; quia praeter declivitatem aortae deſcendentis, obſtructa, & convulſa imi ventris viſcera deſcendenti ſanguini magis reſiſtebant: unde capitis dolores, aurium ſibili, ſcintillae ante oculos, deliria, ſopores, aliaque ſimilia ſymptomata apparebant. Praeter experimenta enim generica a clariſſimo viro patrata, ut oſtenderet, jactum per canales perpendiculares majorem eſſe, quam per obliquos: pluries injecta per aortam aqua calida obſervavit, frontem multo citius incaleſcere aliis partibus. Unde explicat, cur calor, & ſudor frontis in febribus ſaepius accidat: quo quidem poſito majori ſanguinis influxu per arterias in vaſa cerebri, & impari per venas refluxu, licet ſympathica, increſcebat capitis affectio; ideoque aper-

(a) In Noſologia method. Claſ. 2. pag. 71.

ta jugulari, & diminuta, emiſſo ſanguine, reſiſtentia, accelerabatur refluxus; & ita peſſima capitis ſymptomata evaneſcebant.

§. XCVIII. Neque minus levaminis afferebat ſanguis vel cucurbitula occipiti, vel hyrudinibus retro aures applicatis, emiſſus; quoniam auxilia haec multiplici ratione aegris opem ferebant, ſanguinem ex arteriolis educentia, accelerabant ejuſdem motum in ramis carotidum exterioribus: unde diminuta quantitate in ramis interioribus, vaſa cerebri non adeo onerabantur: ſecundo per cucurbitulam occipiti applicatam, ex venulis, quae per foramina ad latera foraminis ovalis ſita, a cerebro egrediuntur, educebatur ſanguis immediate a cerebri ſuperficie. Hyrudines autem haemorrhoidibus applicatae, & viſceribus imi ventris, & capiti quoque proſpiciebant, juxta illud Hippocratis: *in mentis emotionibus ſi haemorrhoides ſuperveniant bonum*. Scio eruditiſſimum Swietenium Hippocratis auctoritate, & Trilleri obſervationibus oſtendiſſe, & octavo, & nono die ex magnis venis cubiti puta, & pedis tuto ſanguinem mitti poſſe. Id quoque me feciſſe memini, ſed in iis, quibus primis diebus non tantum ſanguinis detra-

tractum fuerat, & vires illam ſanguinis miſſionem ferre poterant ; minime vero ſi corpus prius ſatis exhauſtum fuiſſet.

§. XCIX. Alterum, quod hic nobis advertendum eſſe putamus, eſt, nos in iis tantum liberaliori adeo manu ſanguinem mitti imperaſſe, qui & elaſtici erant temperamenti, & ſanguinem ad inflammatoriam diatheſim tendentem habebant : non vero in iis, qui univerſali cacochymia laborabant. Quoniam monente Cl. Princle: omne quod relaxat, ad putredinem diſponit; & Swietenius docet qnod *depletis majoribus venis, facillime poterunt minimae venae bibulae abſortos humores majoribus venis tradere, unde promptior fiet putridi reſorptio* (a). Quoties ſanguinem tenuiſſimum, bile diſſolutum comperi, a ſanguinis miſſione me abſtinui, ne totus bilioſus redderetur, ut monuit Proſper Martianus praeſtantiſſimus Hippocratis interpres: *ſi ſanguis* inquit, *tenuiſſimus, ac humori bilioſo proximus, per venae ſectionem adhuc magis attenuatur, & periculum eſt, ne totus in bilioſum humorem mutetur* (b); & alibi Hippocratem commentans ſic expli-

(a) In comm. §. 354.
(b) Magn. Hipp. Cous Proſp. Mart. pag. 107.

explicatur: *venae ſectio refrigerat, quando calor a ſanguine provenit, nequaquam vero quando a cacochymia; imo apparet manifeſte, corpus e bilis copia excalefactum, miſſo ſanguine, calidius reddi*.

§. C. Quibus poſitis, nihil adverſus hanc methodum facere videntur nonnullorum exclamationes, qui cl. Tiſſotti auctoritati innixi repetitam ſanguinis miſſionem nocuiſſe potius, quam profuiſſe in noſtra conſtitutione adſeruerunt. Revera cl. Tiſſot ſolidiſſimis argumentis, ac clariſſimorum in arte medica virorum auctoritate demonſtravit (*a*), ſanguinis miſſionem in febribus bilioſis locum nullum habere poſſe, cum jugulet potius, quam opem ullam afferat. Verum idem cl. vir diſtinguit bilioſas febres in mere bilioſas, & in bilioſo-inflammatorias: omnia argumentorum ſuorum momenta, omneſque, quas adducit auctoritates adverſus ſanguinis miſſionem, militant contra abſolute bilioſas; non vero adverſus bilioſo-inflammatorias: in quibus novit & ipſe, ob ſummam, quam adfert opem, phlebotomiae neceſſitatem; ideoque de ſanguinis miſſione ſic ſcribit (*b*): *ſupereſt explicandum, ne man-*

(a) In diſſert. de febribus bilioſis.
(b) pag. 147.

mancum remaneat opus, cur illuſtres Medici a vetuſtis temporibus ad noſtrum aevum, venae ſectionem in morbis putridis adhibuerint. Rem breviter jam tetigi; haec eſt nimirum ratio, quod duplex ſit putridorum claſſis, alii ſimpliciter putridi, quibus nocet V. S., & quos venae ſectione numquam debellare tentarunt viri artem medicam rite callentes . . . . . ſecunda eſt claſſis morborum illorum putridorum, in quibus adeſt ſimul diatheſis phlogiſtica, quam egregie debellat V. S. Hujuſmodi fuiſſe febres Epidemiae noſtrae, adeo clarum perſpectumque apud omnes eſſe credo, ut fruſtraneum fit, pluribus demonſtrare: unde repetitae ſanguinis miſſiones recte indictae, conveniebant maxime; & in principio omiſſae aegros ſummo & ultimo fato maxime obnoxios relinquebant. Quod ipſe cl. vir Hippocratis auctoritate laudato loco confirmat: *jecoris* inquit nunquam ſatis laudandus Hippocrates, *vehementiſſimi dolores, & lienis gravitates, atque aliae inflammationes, & morborum collectiones ſolvi nequeunt, ſi quis eas primum medicamento purgante aggreſſus fuerit. Verum in his venae ſectio praeponenda eſt, deinde ad infuſa per alvum veniendum, & medicamento purgante utendum*, apprime ut apud nos a prudentioribus

fa-

factum eſt, qui poſt vomitorium, & venae ſectionem ad blandas, & quotidianas purgationes adcedebant. De neceſſitate denique phlebotomiae, ejuſque repetitione in hujuſmodi febribus adeo certus fuit, ut canonem practicum confecerit. *Gaſtrici*, inquit, *ſunt*, *aut ſimpliciter putridi*, *aut ſimul phlogiſtici*. *In ſecunda ſpecie venae ſectio aliquoties adhibenda eſt*, *& procraſtinandae evacuationes*, *donec phlogoſis evanuerit*.

De promota in primis viis coctione, & evacuatione.

§. CI. Quamquam hactenus expoſita auxilia ſummae ſemper efficaciae in arte medica deprehenſa fuerint; noſtrae tamen conſtitutionis morbus non eae indolis erat, ut primis hiſce remediis cederet: nam licet aliquando fractus viribus aegros liberos ſtatim relinqueret; id tamen raro nimis obſervatum fuit. Naturalis ejus decurſus raro ante ſeptimum, fere poſt decimum quartum, aut vigeſimum primum ab invaſione diem claudebatur: ni ſecundario aliquo morbo cum aegri periculo, ac Medici angore ulterius progrediebatur. Eapropter prudentiores clinici expoſita praeſidia ſubito imperabant, ut violentas

tas morbi vires infringerent, tempuſque lucrarentur: ut & morbi cauſſas corrigerent, & per loca convenientiora expellerent. Et quoniam ex dictis primariae ejus cauſſae erant putredo in viſceribus exiſtens, & lentor phlogiſticus in tota ſanguinis maſſa; ideo putridum primarum viarum corrigere, & ſanguinis lentorem reſolvere ſatagebant; ut deinde propriis remediis expellerent, juxta aureum illud Hippocratis monitum *concocta purgare, & movere oportet, non cruda, neque in principiis, niſi turgeant. Plurima vero non turgent* (*a*). Ubi ergo vomitorio primis diebus exhibito, turgentia tantum excuſſa fuerant, reliquae biliofae, & crudae materiae correctionem variis remediis adgrediebantur. Nonnulli ſtatim ad uſum aquae frigidae recurrebant, non ſecus ac Galenus, qui humorem bilioſum coquebat aqua frigida, humorem pituitoſum pipere, ut pluribus in locis apud ipſum videre eſt (*b*): ipſa enim diluebatur bilis, & acredinis vis remittebatur: unde mitigato, vel ſublato ſtimulo, relaxabantur inteſtinorum tunicae,

(a) Aphor. 22. ſection. 1.
(b) Lib. II. Meth. meden.
Ad Glaucon. lib. II.: de ſanitat.e Tuend. lib IV.

Digitized by Google

cae, & reſeratis vaſculorum in inteſtina ducentium oſculis, morbidi humores in ipſa fluebant, & expulſioni ſe ſe praebebant. Nonnulli horis matutinis exhibebant ſerum lactis multa aqua dilutum, & omni diei hora ptiſanam hordei. Auxilii hujus paulo major viſciditas,& humiditas quam in aqua pura, & ſtimulatas fibras magis leniebat, & bilis ac putredinis aculeos involvendo obtundebat. Quoties vero diſſolvendi indicatio magis vigebat, ſerum lactis cum cichorio, taraxaco, & gramine ebullire prius imperabam, dein probe percolatum exhibebam: ſic enim blandas vires ſaponaceas abſterſivas adquirebat: quibus putredo magis reſolvebatur. Si vero tenſiones tantae in inteſtinis minime deprehendebantur, neque adeo acris putredo morbum faciebat; tunc correctionem hoc alio modo tentabant: aquam ſucco limoniorum inficiebant; & aliquando addita ſufficienti ſacchari quantitate nive in glaciem commutabant, ipſamque bis, vel ter de die exhibebant; ita enim putredo & bilis corrigebatur, & ad exitum parabatur. Quamnam in putrido-bilioſis febribus ferant opem acidi ſucci plures teſtati ſunt: en quomodo explicatur Sennertus: *ſucci enim citrii, &*

ace-

acetoſae, putredini reſiſtunt, cor peculiari vi roborant, intemperiem febrilem corrigunt, aperiendique vim habent (*a*). Sed nemo magis ſuccorum acidorum virtutem laudibus extulit clariſſimo Tiſſot: inter caetera haec addit: *verbo, egregie ſucceſſit omnis potus acidus, nec nimis emolliens: qualis optime conficitur ex ſuccis expreſſis fructuum boraeorum cum aqua, & ſaccharo; nec quicquam praeſtantius novi in omni morboblioſo, imo & inflammatorio, ſuccis ſaponaceis acidis mori, rubi idei, ribeſiorum, fragariae, ceraſorum, imo & uvarum, dummodo non nimis maturuerint; hae ſunt enim illorum virtutes, ut aceſcentia omnem putredinem corrigant, ſaponaceitate omnia concreta bilioſa, aut inflammatoria reſolvant, omneſque faveant ſecretiones: nec nimis ſolida laxant, quin imo grato ſapore, fragranti odore, vi cardiaca pollent;* ut Swietenii, aliorumque ſimiles auctoritates praetereamus. Alii pulveres ex tartaro ſale polycreſto, aliiſque ſimilibus confectos exhibebant, imperantes, ut hauſtus aquae vel frigidae, vel naturalis ſuperbiberent aegri, ita quoque viſciditas, & putredo incidebatur, & dilutione reſolvebatur. Quoniam autem cruditas non mo-

V do

(a) Senn. de feb. lib. II. cap. VIII.

Digitized by Google

do in fluidis, ſed in ſolidis quoque conſiſtit: veteres enim clariſſimo Boerhaavio advertente, *nihil aliud per vocem cruditatis intellexerunt, niſi generalem conceptum. Sed ejuſdem cruditatis poſſunt innumerabiles eſſe cauſſae, quae totidem crudae materiae ſunt, vel fluidae, vel ſolidae. Quando enim nimia ſtrictura in ſolidis partibus oritur, haec ipſa materies morbi erit, & tamdiu dicetur ſtatus cruditatis, quamdiu haec ſtrictura ſupereſt* (a): ideoque quando tenſio, & ſtrictura maxima in viſceribus imi ventris deprehendebatur, illam quoque corrigere ſtudebant ſapientiores: quare abdominis regioni imponi imperabant cataplaſmata emollientia, & anodyna ex malva, brancaurſina, chamomilla, aliiſque ſimilibus emollientibus herbis, vel ex micis panis cum lacte decoctis confecta: clyſteres emollientes, & aliquando quoque emulſiones ex ſeminibus frigidis, & amygdalis dulcibus paratas conſulebant. Sic obtinebatur, ut relaxatis viſceribus imi ventris, humorum circulatio per abdomen liberior abſolveretur; & peccantes humores in cavitatem inteſtinorum facilius confluerent, & evacuationi ſe ſe praeberent paratos. Ad eidem ſcopum animalia viva exente-

(a) In praelection. ad inſtit. med. Tom. VII. n. 9: 2.

Digitized by Google

terata praebuerunt palpitantia & fumantia viſcera, quae abdomini, aliiſque partibus impoſita miram quamplurimis, praeſertim convulſis, vehementiſſimiſque doloribus vexatis adtulerunt opem.

§. CII. Hac methodo promota in primis viis coctione, alteram indicationis partem obſolvere tentabant, putridos nempe, ac praeparatos humores evacuare: quod variis modis efficiebant: vel levi repetito vomitorio, dum non adeo provectus fuerat morbus, vel blandis, ſed repetitis purgantibus. Horum pro temperamentorum diverſitate, aegrorumque genio, varia tentata ſunt. Nonnullis exhibebant pulpae caſſiae recenter extractae, vel mannae pinguis, vel ſalis anglici uncias aliquot horis matutinis, cum largis ſeri caprilli, ſufficienti aquae quantitate diluti, hauſtibus. Horum remediorum effectus varius eſſe ſolebat: nonnullis enim duabus ab aſſumptione circiter horis, blandam choleram promovebant: & non modo per inferiora putrida, ac bilioſa materia aducebatur; ſed per ſuperiora quoque ejuſdem materiae ſufficiens quantitas expellebatur: quod primis diebus ante coctionem nec emeticis, nec catharticis obtineri poterat. Sequenti die pro neceſſitate idem remedium, vel

eadem doſi, vel paullo refracta repetebant; & ſaepe excuſſa materia circa ventriculum, & duodenum exiſtente, viam ſibi parabat per inferiora tantum; & ita tenuia, & craſſa inteſtina repurgabantur, locuſque fluendi dabatur humoribus, in hepate, liene, aliiſque viſceribus haerentibus.

§. CIII. Verum nec frequentius, nec majori efficacia, ut eidem indicationi ſatisfieret, remedium exhibitum vidi, quam oleum olivarum, non rancidum, ſed optimae indolis paratum, quod vel naturale ſolum, vel gallia, vel alia quaevis extera regio ſubminiſtrabat. Vereor tamen ne hic nonnullorum emunctas ſatis nares feriam. Cl. utique Tiſſot ſacrum ſemper habuiſſe refert, oleum amygdalarum dulcium in uſum revocare: nec ſpernenda affert argumenta; maximique momenti in arte medica auctoritates Hippocratis, Swietenii, Bianchi, Primeroſii adducit, ut ſententiam ſuam confirmet. Mirum tamen videri non debet; quoniam quae magis ſunt obvia, & in uſum revocata; ea utplurimum magis ſunt controverſa. Galenus utique, ipſo Tiſſot advertente, monuit, ſuo tempore plures fuiſſe controverſias de uſu olei, quod alii

acre

acre & calefaciens, alii demulcens credebant: apprime, ut noſtra aetate accidit; cum nonnulli pro demulcente ejus natura pugnent, interea dum alii adverſus inflammabilem, & acrem ejuſdem naturam militant. Verum certaminis hujuſce ratio reddidit Galenus, cum docuit, id ex varia conſtitutione corporum, quibus ingeritur, dependere. Quidquid ſit tamen de celeberrimorum virorum auctoritate, & argumentis, quae ſemper veneror: ſi in phyſico-medicis, uti de phyſica experimentali in regula quarta philoſophandi docuit Cl. Newtonus: *propoſitiones, & notiones ex phaenomenis collectae, non obſtantibus contrariis hypotheſibus, pro veris, aut accurate, aut quam proxime haberi debent:* cum ex phaenomenis in aegris noſtris collegerim, proſiguum utplurimum oleum extitiſſe, illud nec vituperare, nec a recepto uſu ablegare audeo. Exhibebatur hoc ad uncias duas, tres, quatuor, vel quinque cum acredine limonis mixtum; & tunc facilius ſibi viam parabat. Poſt aliquod ab abſumptione tempus; aliquando vomitum abſque magno molimine, & ſenſibili evacuatione promovebat, longiori temporis intervallo alvum ſolvebat; & repetitum deinde, tantummodo per inferiora ſibi viam

Digitized by Google

viam parabat, & craſſas ac putridas foeces, quae primis diebus obtineri non poterant, quaeque lymphaticas evacuationes peſſimo ſuo colore inficiebant, tandem expellebat: quae expertus narro, alios celeberrimos clinicos mecum vidiſſe, & fateri ſcio. Non negandum utique pluribus moleſtiam creaſſe; verum & alia remedia id quoque efficiebant, dum coctio non adhuc confecta erat; & ut Galenus admonebat, id fere a temperamentorum varietate ortum ducebat. Tunc prudentis medici erat, illud ita exhibere, ut moleſtia illa, quam creabat, ablegaretur: ideoque quoties indicatio illud exhibendi vigebat, ne copia ſumptum officeret, cochleatim per vices, & intervalla cum aquea diaeta conjunctum exhibebam: nec turbas ullas excitabat; & eventus utplurimum felix, continuatam exhibitionem ſuadebat magis, juxta Hippocratis monitum: *ſi confert, & bene tolerat, bene eſt*. Caeterum cur tanta adverſus olei uſum? Maxima oppoſitionis ratio deſumitur ab inflammabili ejus natura. Non inficior, olea veluti ignis matrices exiſtere, illiuſque magnam quantitatem continere. Verum activa ignea illa vis in oleis blandis moderata maxime exiſtit a ſumma aquae, & terrae quantitate, quam dulcia olea

olea continent: non enim omnia ejuſdem ſunt inflammabilitatis: en quomodo experientiſſimus Hoffmannus de oleis agens, ediſſerit. *Id tamen mixtorum elementum non unius ejuſdemque, ſed valde diſſidentis, imo alienae indolis eſſe, varia ſane phaenomena, & multiplices effectus ſatis clare teſtantur. Nam in quibuſdam principium hoc ſulphureum fixioris, valdeque temperatae eſt naturae, adeo ut citra calorem in corpus agat, quemadmodum obſervamus in oleis, quae maxime ex ſeminibus exprimuntur, vel in pinguedine, & exungia animantium: quae omnia utut inflammabilia ſint, tamen quoniam volatili, & aethereo illo elemento deſtituuntur, parum calefaciunt, vel corpus noſtrum alterant* (a): ideo expertiſſimi clinici de adſerta inflammabilitate minime ſolliciti, olea in ipſis inflammatoriis morbis exhibere non dubitant: legantur quaeſo Trillerus, Boerhaavius, Hoffmannus aliiſque.

§. CIV. Inſuper quoties in primis viis, vel quia ingeſta, vel quia in ipſis generata, ut monet Galenus, & nos in aegris noſtris experti ſumus, exiſtunt venena acria, manifeſto alkalina, nonne oleoſa maxime ſunt indicata? audiamus

(a) Obſerv. Phyſico-chym. lib. I. obſ. I.

Digitized by Google

mus quaeſo Cl. Boerhaavium: *alia venena acria manifeſto alkalina cognoſcuntur: ſuntque cineres uſtorum vegetantium. Alkali inde factum, idem cum calce ſaxi uſti igneum redditum. Ova, humores, caro omnino putrefacta, ſales inde ſeparati; iidem ignei facti per ſublimationem ab alkali fixo, calce &c. Haec autem creant citiſſimam violentiſſimam inflammationem, eroſionem, gangraenam, convulſiones, febres acutiſſimas &c.* quae omnia, ut probe conſiderentur, & aegris noſtris applicentur, auctor ſum. Haec proſequitur Boerhaavius *petunt ad curationem, dilutionem per aquoſa laxantia, obtuſionem per oleoſa pinguia, terreſtria, inverſionem per acida diluta, volatilia, facile mobilia; deinde diaetam diuturnam ex acidulis, oleoſis, emollientibus* (*a*), apprime ut prudentiores clinici apud nos experti ſunt; qui enim hac methodo inceſſerunt, meliorem fortunam experti ſunt. Hiſce remediis obtundebantur acria, & diluebantur; & relaxatis tunicis inteſtinorum expellebatur putrida, & acris humorum colluvies.

§. CV. Praeter haec oleum cum acredine limonis exhibitum vermes quoque enecabat, & expellebat: ſcio anthelminticam oleorum virtutem a viris ſummis in dubium revocari; verum

(a) In Inſtitut. Medic. Tom. VII. n. 1140.

Digitized by Google

rum haec eſt humanae ſortis natura, ut neſciat ſtare diu; & paulo poſt evertatur, quod paullo ante omni molimine adſtruebatur. Verum anthelminticam, vel maximam oleorum virtutem ad vermes ab inteſtinis expellendos, noverunt & veteres etiam.. Aetius utique, ut ipſe doctiſſimus Swietenius advertit (*a*), ad vermes e corpore expellendos cyathum olei omphacini propinari juſſit, & ptiſanae oleum plurimum omphacinum incoquendum; praebitiones vero ex oleo ſemper augendas voluit; & rationem hanc dedit. *In univerſum enim omnia, quae lumbricos educunt, aut per acredinem occidendo, aut per amaritiem ſubducendo, aut ad excretionem irritando, aut per conſequentem ad ea, quae exbibentur, lubricitatem, efficacia cognoſcuntur. Extrabuntur autem ſimul, ut veriſimile eſt, per ſorbitiones vias lubricas reddentes, aut etiam per innominatam aliquam quantitatem* (*b*). In oleo ergo cum acredine limonis mixto duplex anthelmintica vis juxta Aëtium aderat; acredine enim enecabantur, & olei lubricitate expellebantur. Clinici utplurimum, quid morbos tollat

X

(a) In comm. ad aph. 1731.
(b) Serm. 9. Cap. 39. p. 173.

Digitized by Google

lat, ſcire ſtudent, parum ſolliciti de modo, quo illos evertat, non ſecus ac Celſus in praefatione docet. Parum revera refert, cognoſcere, an oleum vermes enecet, quia non ſatis demonſtratas tracheolas viſciditate ſua obtegat; an quia vias lubricando, eoſdem de corpore expellat: ſufficit, ut multiplici experientia conteſtatum ſit, oleum cum acredine limonum mixtum vermes enecare, & expellere, quod utique apud vulgus notiſſimum quoque eſt. Neque Swietenius, & Hoffmannus ipſe, qui anthelminticam oleorum virtutem infirmare quoque modo videntur, illam omnimode negare auſi ſunt. Swietenius utique loco laudato varia experimenta refert, ex quibus conſtat, lumbricos vivos excretos, & oleo communi, vel amygdalino merſos, ſtatim extinctos fuiſſe: quod non eodem modo ſemper acciderit, variis de cauſſis evenire poteſt. Et Hoffmannus licet alia anthelmintica proponat remedia, en quae de oleo addit (*a*). *In inteſtinis quoque vermes varias ludunt tragoedias, & horrenda ſaepe excitant ſymptomata, quibus extirpandis, nonnulla peculiari quadam dicata ſunt*

(a) Medic. ſyſtem. Tom. III. ſection. II. Cap. VIII §. XVIII.

Digitized by Google

ſunt virtute, Graecis ob id anthelmintica dicta, ſed licet horum eximius circumſeratur apparatus, non omnia tamen aeque expectationi reſpondent; & nulla magis probatae, efficaciae ſunt ipſa aſa foetida, & ſagapeno, praeſertim, ſi haec cum purgantibus, aut mercurio dulci, & extracto rhabarbari in pilularum forma dentur, hac cum cautione, quo ante, & poſt hujus virtutis pilularum uſum, aliquot cochlearia olei olivarum, vel amygdalarum dulcium ingerantur, quod certe vermibus, ut omnia oleoſa, quàmmaxime infenſum, & fibras inteſtinales a vermium arroſione ſpaſtica ſtrictura effectas egregie mulcet, ac efficit, ut verminoſa progenies per ani ſeceſſum exturbetur. Neque oleum ab anthelminticis ſuis ſejungere ſcivit, ubi experimenta Cl. Rhedi, quibus anthelminticas olei vires adſtruuntur, evertere conatur; Sic enim in fine ejuſdem §. IV. loquitur. *Multo magis oleoſa in gravibus a lumbricis ſymptomatibus ideo cenſerem utilia: quia ſenſibiles inteſtinorum tunicas ſpaſmo conſtrictas relaxant, mucilagine quaſi obliniunt, atque defendunt, ut poſtea acriora quaedam, & purgantia remedia magis ſecure, & ſine laeſione exhiberi poſſint. Ita ergo ſaepius mirabili cum effectu ad vermes enecandos, & ſym-*

 pto-

Digitized by Google

ptomata lenienda oleum amygdalarum dulcium ad aliquot cochlearia , imo ad uncias uſque circa lecti introitum , vel ſummo mane pueris praeſcripſi ſumendum &c. (*a*). Hactenus dicta ſufficere poſſe credo, ut ab omni aevo tributae oleo vires adhuc conſerventur; deque culpa, qua reus agebatur olei uſus, abſolvatur, excepto ſemper, quiſquis ejuſdem fieri poſſet, abuſu. Innumeras adducere poſſem obſervationes, ut adſertas oleo vires confirmarem; ſed quoniam ſimiles apud omnes occurrunt, omitto: unam tantum ſilentio comprimere nequeo. Foemina aetatis ſuae annorum 35. circiter infirmabatur: & ex omnibus morbi notis, vera, & aſcendente pleuritide vexari videbatur: dolor enim acutus in latere ſinixtro aderat, ad ſcapulam, & claviculam adſcendens, pulſus erant duri, ſpirandi difficultas maxima, tuſſis, & febris vehemens vexabant. Plurima tentavi, ut apparentem pleuritidem everterem, & uſque ad ſeptimum nihil profeci; tum quum neſcio quonam praecipue fine, & an recte, olei ſeminum lini uncias duas unica vice exhibui: ſequenti die triginta lumbricos per anum emiſit, falſa pleuritis reſolvi incepit; iterum ſed mi-

(a) De morbis infant. Cap. XII.

Digitized by Google

minori doſi oleum exhibui, alios ejecit; & tandem curata fuit: ſed e diverticulo in viam. Ad vermes enecandos alia anthelmintica exhibita fuerunt, ex mentha ſemine ſantonici, corallina, aliiſque parata; imo abuſus aliquis factus fuit; innumera arcana ſpecifica ventilata fuerunt, vulgo, nullo tamen medico condonanda.

§. CVI. Praeter hactenus adducta evacuantia auxilia, alii ſingulis aquae gelidae, vel naturalis hauſtibus infundebant magneſiae nitri dracham unam, vel dimidiam, quo quidem remedio, & bilis ac putredinis aculei praecipitabantur, & alvus ſolvebatur, & urina quoque promovebatur: blandis hiſce remediis paullatim educebatur morbi fomes, prout natura, vel arte concoquebatur. Ubi vero per haec minime ſufficientes ſedes obtinebantur: tunc ad clyſmata prudentiores accedebant; & fatendum magis profuiſſe haec ſola, pluries repetita, quam ulla alia. Pro diverſitate indicationis, diverſi generis parabantur: ubi enim irritationes, & tenſiones nimiae aderant, nec non inflammationes, ſimpliciter laxantia, & emollientia injiciebantur; ut & partes emollirentur, & ut ſi quid ejiciendum foret, laxatis inteſtinorum tunicis, abſque irrita-

tatione expelleretur. Quando vero ſaburra aderat, & inertia ſimul inteſtinorum, nullo exiſtente inflammationis metu; tunc ſtimulantia parabantur, in quibus praeter ſal, oleum, fel bubulum, mel deſpumatum, ipſam Galeni hieram pigram ſolvere non ſine fructu fecimus; quoniam ſimilibus foeces craſſae, & copioſae eductae fuerunt; ubi aderant convulſiones, ex decoctione malvae ſimpliciter, vel ex lacte inſtituebantur; & memini aliquando vehentiſſimas convulſiones ſedaſſe hydrogala cochleatim exhibito, & paullatim deinde aucto.

De coctione, & evacuatione in ſanguine, totoque vaſculorum ſyſtemate promota.

§. CVII. Quoniam morborum cruditas non modo in parte, ſed in tota humorum maſſa, ſolidorumque ſyſtemate conſiſtere poteſt, ut ex Hippocrate collegit, & explicavit Boerhaavius, inquiens: *Materia morbi praedita ea mole; figura, cohaeſione, mobilitate, ut faciat, vel augeat morbum, appellatur cruda. Ille autem ſtatus morbi, in quo haec ita ſe habent, dicitur cruditas morbi: quod obtinet aeque in morbis, ubi tota maſſa hu-*

Digitized by Google

humorum infecta eſt, quam in iis, ubi una modo pars tali materia obſeſſa eſt (*a*) *:* cumque nobis jam ſupra (*b*) oſtenſum ſit, non in inteſtinis tantum morbi fomitem ſedem ſuam habuiſſe, ſed totam humorum maſſam quoque infeciſſe; ideo expendendum adhuc ſupereſt, quibus modis natura, vel ars, vel ſimul ambae crudam hanc in ſanguine, totoque vaſculoſo ſyſtemate diſperſam materiam ſubegerint. Coctionis primum ac princeps inſtrumentum, ipſa febris, ſive aucta vis vitae a prudentioribus in arte medica viris ſtatuitur: ſicut naturalis vis vitae naturalem coctionem, ſive humorum in naturam humanam aſſimilationem quotidie perficit, omniumque corporis muniis inexplicabili providentia proſpicit; ita praeternaturaliter, ſed mechanica neceſſitate aucta, ſive febris, morboſam materiam ſubjicit, ac concoquit; ideoque clariſſimus Hippocrates,qui cuncta conſideraſſe videtur, inimitabili phraſi *naturam optimam morborum medicatricem* appellavit; plurimaque de ſalutari febris vi adduxit obſervata: ſic enim in aphoriſmis loquitur

(a) In Inſtit. Medicis Tom. VII. num. 922., 923.
(b) Cap. VI.

tur (*a*) *ſi quis ebrius*, *derepente obmuteſcat*, *convulſus moritur*, *niſi eum febris corripuerit*. *Mulieri ex partu convulſione infeſtatae febrim ſupervenire*, *bonum*. *Tetano & convulſioni febrim ſupervenire bonum* (*b*), ut innumera alia omittamus: Neque ab Hippocrate alienus reperitur Cornelius Celſus: Quoniam inquit (*c*) *denique ipſa febris*, *quod maxime mirum videri poteſt*, *ſaepe praeſidio eſt*. *Nam & praecordiorum dolores*, *ſi ſine inflammatione ſunt finit*; *& in jecinoris dolore ſuccurrit*; *& nervorum diſtentionem*, *ſi poſtea cepit ex toto tollit &c* Quibus inhaerens cl. Boerhaavius ſcripſit in aphoriſmis ſuis (*d*) *febrem ſaepe ſanationis optimam cauſſam eſſe*: quem locum commentans Swietenius ait: *non ergo ſemper perniciosa febris eſt*: *erantque illi*, *qui hanc ubique omni artis molimine debellandam credunt*; *cum ſaepe natura per febrim vincat tales morbos*, *qui ad optima quaevis remedia rebelles manent*: Et ante hoſce multiplici edoctus obſervatione cl. Sydenhamus febrim vocavit naturae inſtrumentum, quo partes impuras a pu-

(a) Aphor. V. Sect. V.
(b) De morb. libr. I.
(c) Lib. II. cap. 8.
(d) §. 558.

Digitized by Google

a puris ſecernit (*a*); ideoque minime ſollicitus fuit, ut febrim tolleret; ſed ſedulo attendebat an excitatus per ſebrim motus tantus eſſet, quem periculoſa ſymptomata ſolebant ſequi; vel contra ſic langueret, ut ſeparatio morboſi a ſanis, aut ejuſdem ſubactio, vel mutatio humorum in novam indolem per hunc motum obtineri non poſſunt, quo cognito, compeſcebat idonea medela febrilem motum, ſi nimius erat, vel excitabat languentem: ubi vero debitos intra limites manebat febris, ſpectatorem agebat, nihil omnino mutans, & viribus tantummodo proſpiciens, eventum, quem artis uſu ſalutarem fere noverat, expectabat: qua de cauſſa in curandis febribus generalem poſuit indicationem (*b*): *Ut ſanguinis commotio intra modum, naturae propoſito congruentem, ſiſtatur; ea nimirum ratione, ut nec hinc plus aequo gliſcat, unde periculoſa ſymptomata inſequi ſolent; nec illinc nimium torpeat, quo pacto vel materiae morbificae protruſio impediretur, vel ſanguinis novum ſtatum affectantis, labefactarentur conatus.*

§. CVIII. Simili prorſus methodo prudentiores

(a) Sect. I. Cap. 4.
(b) Sect. I. Cap. 3.

Digitized by Google

res ex noſtratibus clinici ſe ſe geſſerunt ; quoties enim ad aeſtuantium nimis febrium curationem erant advocati, quae ob nimium impetum peſſima inducebant ſymptomata, & aegros in maximo diſcrimine collocabant, ſtatim omnimoda ciborum ablatione, venae ſectione etiam repetita, ſi opus erat, febris, ſive vitae nimium auctas vires convellere ſtudebant, non ſecus ac Aſclepiades, qui referente Celſo (*a*), *febre ipſa praecipue ſe ad ejus remedium uti profeſſus eſt; & convellendas vires aegri putavit luce, vigilia, ſiti ingenti*. Deinde diaeta aquae frigidae vel naturalis pluribus occurrere curabant. Diluebat enim aqua putredinem in primis viis exiſtentem, & frigoris, quo gaudebat gradu, exaltatam bilem praecipitabat. Deinde ſanguinem ingreſſa, ipſum diluebat, & inflammatoriam ſpiſſitudinem reſolvebat; & urinae vias magis patulas reddebat: & ubi ob mimiam ſanguinis ſpiſſitudinem cum ipſo miſcibilis non erat; quod praecipue cognoſcebatur; quia licet febris in ſuo vigore conſiſtebat; aqua per urinas expellebatur pellucida, nulloque tincta colore, non ſecus ac hauſta fuerat; tunc ſingulis aquae hauſtibus

(a) Lib. III. Cap. 4.

Digitized by Google

bus nitri grana aliquot adjiciebant; nitri enim blandis aculis penetrans magis reddita, ſanguinis ſpiſſitudinem facilius reſolvebat, putredini reſiſtebat, & diureſim magis promovebat. Quoniam hujus remedii abuſus, non ſecus ac aliorum nocere potius, quam aegris opem ferre noveram; ideo nonnullas adhibui cautelas. In ſummo febris aeſtu numquam gelidam praeſcripſi: timebam enim ne inflammationem aliquam excitaret: & revera dubito, ne aliquando excitaverit. Nonnulli in inflammationem pulmonis, & faucium inciderunt: medici per metaſtaſim morbi principis ortam dixerunt; ego vero dubitavi, an ex potu gelido in ſummo aeſtu febris exhibito orta fuiſſet; ideoque naturalem tunc temporis conſului: gelidam pariter prohibui, ubi ſummae fibrarum tenſiones aderant; & convulſiones morbus minabatur; & memini cujuſdam, validiſſimi juvenis, in quo tenſiones ſyſtematis vaſculoſi adeo auctae erant, ut pulſus capillares facti eſſent. Interea dum facies ſatis colorata erat, & corporis ſuperficies ſatis calida. Imperavi aſſidentibus, ut aquae gelidae uſum tollerent, clyſteres emollientes injicerent, & pediluvia ex decoctione lactucae inſtituerent, &

 emul-

Digitized by Google

emulſiones ex ſeminibus frigidis exhiberent, & aquae naturalis uſum potius arriperent. Quibus peractis pulſus ad debitam magnitudinem redierunt, & tandem convaluit. Ut ſolidis ergo nimis irritatis atque convulſis occurrerent, emulſiones exhibebant, & clyſteres ſimpliciter emollientes imperabant; & ſic nimium febris impetum moderari ſtudebant; ut ablegatis peſſimis ſymptomatibus, morbidorum humorum coctio debito tempore perficeretur.

§. CIX. Verum febres non ſemper expoſito hactenus tenore invadebant; nonnullae enim, ut capite ſecundo dictum fuit, lente miſeros aggrediebantur: pulſus erant exiles, tepor potius, quam calor membra occupabat; inertia aderat ſumma ad actiones omnes, aliquando difficultates ſpirandi, & mentis torpor. Quae quidem omnia manifeſte ſatis oſtendebant, & denteſcentiam ſummam in ſanguine addeſſe, & naturae vires ſatis torpidas exiſtere. Diverſo ideo modo haſce prudentiores clinici adgrediebantur: torpidam nimis naturam juxta Hippocratis, & Sydenhami monita activam reddere conabantur, quod veſicantibus, aliuſve generis ſtimulis efficiebant. Praemiſſo ergo vomitorio,

aut

aut debito purgante, & ſi opus fuerat, ſanguinis miſsione celebrata, veſicantia primo ſuris applicabant, & neceſsitate urgente humeris, & aliquando cervici, & ſuturae coronali emplaſtrum de tapſia, quae quidem aliquando non omnia ſimul, quamquam paullatim applicata ſimul in eodem aegro aderant. Id vero multiplici fine efficiebant: & ut languentes vires veſicantium ſtimulo excitarent, & ut ſpiſſam nimis humorum maſſam ſolverent, urinam promoverent, ac morbidam materiam veſiculis, & praerupta cuticula educerent; & a partibus nobilioribus averterent; ideoque tunc praecipue id agebant, cum morbus caput, aut pulmonem minabatur, aut aliquo modo oppreſſerat. Et revera plurimis valde profuerunt: unde non ſecus ac vomitoriis, veſicantibus quoque non parva exiſtimatio acceſsit: cumque nonnulli aurei illius Celſi moniti obliti: *illum nempe ignorari non oportet, quod non omnibus aegris eadem auxilia conveniunt* (*a*), indiſcriminatim omnibus applicanda praeciperent, ob infelicem eventum, non ſecus ac vomitoriis accidiſſe dictum eſt, in omnium conteptum, imo, & abominationem in-

(a) Lib. III. Cap. I.

incurrerunt. Ita ut quamplurimi, licet eorumdem applicationem perutilem cognoſcerent, illa ne aliquo modo criminarentnr, minime edixerunt. Nos tamen quoties ratio ſuadebat; nec aperte vel medici, vel adſidentes repugnabant, ea applicare fecimus, nec infelicia umquam vidimus. Fatendum tamen eſt, quod veſicantia, ſicuti probe applicata ſummam opem aegris adferunt: ita e contrario peſsime cedunt, quoties abſque ratione, debitiſque cautelis applicantur. Ad rem apprime collimare videntur, quae eruditiſsimus Swietenius, de veſicatoriis agens, ſcripſit (*a*). *Imprudenter applicata corpori, febrim ſitim, calorem urentem, halitum cadaveroſum, moleſtiſſimam ſtranguriam faciunt imprimis cantharides, quae ideo a Diaſcoride inter venena recenſentur*; & alibi poſtquam Baglivi, & Trilleri de uſu veſicantium in pleuritide obſervationes adduxerat: ab experimentis Baglivi, tam in vivis animalibus, quam affundendo ſanguini, ejuſque ſero pulverem cantharidum inſtitutis colligit, inſecta illa, vim habere humores noſtros ſolvendi, & ſimul ſolutos ad putredinem diſponendi: ideoque inquit: *videtur concludi poſſe, quod cantharidum uſus minime*

(a) In comm. ad aphor. Boerha. §. 75.

me tutus ſit, ubi valida febris calor magnus, & putredinis metuendae ſigna ſunt (a).

§. CX. Tantum tamen abeſt, quin cl. vir placitis hiſce velit a medicina veſicantium uſum ablegare; tantum monet, ut prudenter applicentur, & quibus morbis competunt. Docet enim locis modo laudatis primo: *omnia haec agunt ratione ſtimuli, quo languentem motum ſanguinis excitant, & vi fundente, qua pituitoſum iners dividunt, & attenuant: hinc in omnibus morbis languidis, & frigidis tanti uſus*. Et capite de pleuritide, loco ſupra pariter citato, inquit, *ubi autem poſt ſanguinis evacuationem requiſitam minutus fuit multum febrilis impetus, nec in urina, aut foecibus alvinis putredinis ſigna apparent, & tamen dolor manet, vel pulmo oppleri incipit; tunc videtur a veſicatoriis multum boni poſſe expectari: vidi in tali caſu dolenti lateri applicatum fuiſſe veſicatorium, quod & ipſe aliquando feci fauſto cum ſucceſſu*.

§. CXI. Hiſce de cauſſis non indiſcriminatim veſicatoria applicuimus umquam. Sed pro diverſitate temperamentorum, ac morbi natura, ita nos geſſimus, ut in iis, qui phlegmatici erant tem-

(a) Ibidem aph. 890.

Digitized by Google

temperamenti, & lentor potius quam in ſanguine rubro, in lympha conſiſteret, quod ex pulſu parvo, & tardo, tactu frigido, inertia actionum omnium &c. colligebamus, potius quam ſanguinis miſſionibus, veſicatoriis magis indulgebamus, ut motum febrilem augeremus, & lentorem diſcutiendo aequabilem circulationem promoveremus. Econtrario in iis, qui ſanguineo, & elaſtico praediti erant temperamento; quod ex pulſu magno, celeri, vibranti, totius corporis rubore, & exurente calore, delirio, aliiſque ſimilibus ſymptomatibus colligebamus, potius ſanguinis miſſioni, quam veſicatoriis indulgebamus. Quod ſi aliquando ad diſcutiendum piceum ſanguinis lentorem veſicantia oppurtuna in iis quoque exiſtimabamus, numquam ea applicari juſſimus, ni prius ſufficiens ſanguinis copia detracta fuiſſet, nec ſimul, ſed paullatim, primo nempe ſuris, deinde brachiis; tandem ſuturae coronali emplaſtrum de tapſia. Hac methodo adminiſtrata numquam peſſime ceſſiſſe veſicantia vidimus, econtra quoties vel non ſufficiens ſanguinis quantitas educta erat, vel quoties ſimul plura veſicantia applicabantur, obſervavimus plurimos vel deliraſſe, vel profundo ſomno

no ſepultos fuiſſe; interea dum febris urens caetera membra depaſcebatur. Ideoque tantum de veſicantium uſu obmurmuratum eſt. Fatendum tamen, eorundem infelici eventui contuliſſe quoque peſsimum regimen: cum enim ob maximum aegrorum numerum, deficerent practici, qui eadem probe curarent; ideo utplurimum male cedebant. Prudentiores vero alii, ut dubium omnem tollerent, miſsis cantharidibus, applicari curarunt epiſpaſtica ex fermento, aceto acerrimo, & largiori ſeminis ſinapeos doſi, quae cruribus, & plantis pedum applicata partes illas rubefaciebant primo; & dein veſicas ſatis amplas excitabant, ſero flavo repletas: unde effectus obtinebatur, & periculum ablegabatur: non ſecus ac ſe feciſſe, narrat pluries laudatus Tiſſot. Qui de infelici veſicantium eventu diſſerens, inquit (*a*). *Mox ergo mutato conſilio, miſſiſque cantharidibus confugi ad epiſpaſtica ex fermento, acerrimo aceto, & largiori ſeminis ſinapeos doſi, quae ſuris, vel ſaepius plantis pedum applicari curabam. Nec minori vi, quam veſicatoria irritabant, nec eadem damna inducebant ac cantharides, quarum tenuiſſima alcalina pars reſorpta, & ſanguini*

(a) De febribus bilioſis.

guini mixta, illius putredinem juvat, ſicque morbos putridos auget; dum econtra partes acidae ſinapiſmi continuo bibulis inſpiratae venulis, vim putridi humores inficientis indeſinenter caſtrant: quam quidem theoriam felici eventu confirmatam vidiſſe ſcripſit, non ſecus ac apud nos obſervatum eſt quoque: ut nobiſcum plurimi teſtari poſſunt: *laetus* proſequitur Tiſſot, *utinam ſemper, obſervavi intra duodecim horas rubedine ſumma affici plantas pedum, ante triginta praegrandes natas eſſe veſicas multum liquidi flaveſcentis fundentes. Poſt primum nychthemerum, ſi fauſtus ſperandus fuit exitus, ſenſibili modo remittebant jactatio, & motus tendinum ſubſultorii, delirium non dum prorſus deſinebat, ſed pacatius delirabant, & intra triduum ſapiebant; alvina medicamenta pleniorem ſortiebantur effectum, & ſomnus quidam jam ſuccedat.* Miror non eandem ſortem apud clariſſimum virum inveniſſe animalia viva exenterata, vel eorum partes fumantes adhuc locis affectis applicata; quoniam obſervavi aliquando plurimum profuiſſe: abdomini applicata convulſiones, & vehementes dolores ſedarunt, capiti, dormientes aegros excitarunt, & pedibus ſemine ſinapeos cum aceto mala-

malaxato conſperſa, veſicantium vices mire adimpleverunt.

§.CXII. Praeter hactenus externa adhibita remedia, nonnulla alia interne ad eumdem ſolvendi finem uſurparunt. Bezoartici ergo jovialis grana aliquot camphorae, vel magiſterio matris perlarum, vel floribus ſalis ammoniaci pro lubitu mixta omni quadrihorio exhibita fuerunt; & quoties vel caput affectum, vel convulſivi motus aderant, bezoartico cinnabarim ſubſtituebant; immo & in uſum revocatum vidimus Antidotum, quod Sinenſes adverſus rabiem exhibere ſolent: quod deinde ab Anglis examinatum adverſus malignas febres valere, quoque compertum eſt. Reperitur hoc in extracto epiſtolae domini Collinſon Societatis Regiae Londinenſis membrum digniſſimum ad dominum Gnemelin conſcriptae (*a*) en latina interpretatio ex anglico ſermone facta: *Societas noſtra proxime magna curioſorum objectorum copia locupletata eſt, e quibus primum locum occupat famoſa formula medica ex Tonqueen in china contra* mor-

(a) Vide comment. de rebus in ſcientia naturali, & medic. geſt. T. I. P. I. Lypſiae: vel novell. Bibliotech. germanique T. onziem. par Formey 273.

morſum rabidi canis miſſa, ſed applicata pariter noſtris maleficis carceribus incluſis, mortique damnatis; necat etiam febres ſummae malignitatis, peſtique proximae. Doſis eſt: ſedecim grana moſchi, totidem cinnabaris, totidemque coccionellae (anglice Vermillion) *quam ultimam hic Londini omiſimus. Mixtura haec aegrum in ſudorem conjicit per quadraginta octo horas, hacque ratione ſanationem perficit efficaciſſime, nec umquam ſic aeger ullus ſpe optati eventus excidit. Propinata fuit doſi minore ad octo decem, vel duodecim grana in febribus, exanthematicis, variolis praecipue, maximo cum effectu; hominibus maniacis, vel mente quacunque ratione captis datum fuit ea proportione remedium, ut ſingulorum ingredientium viginti quatuor ſumerentur grana magno cum ſucceſſu; in febribus inflammatoriis, quas juges comitabantur ſingultus ad octo decem, vel duodecim grana exhibitum effectus tantum non miraculoſos edidit. Omnis ejus ſucceſſus plurimum e moſchi bonitate pendet; addiderunt aliqui pauca camphorae grana in caſibus analogis magno cum ſucceſſu. Id certe maxime remedium commendat, quod ſcilicet ubi non juvat, tamen neque noceat.*

§. CXIII. Ultimum hoc remedium, quia novum

vum plurimis viſum, admiratus eſt vulgus: caetera duo, quia fortaſſe non ſatis nota nec laude, nec odio, ſed potius indifferenti animo accepiſſe viſum eſt. Non ita tamen inter medicos ſe res habuit, quibus non parum circa eorum vires, & uſum diſputatum eſt. Diuturna conteſtatum eſt fama, in febribus malignis Bezoartica, & cinnabarina magnae efficaciae eſſe; tamen ſi candide eloqui licet, nihil certi de horum efficacia aſſerere poſſe videor. Numquam enim ſola fuerunt adhibita, ut ipſis quicunque fuerit morbi eventus certo tribui potuerit. Saepe enim praemiſſis ſanguinis miſſionibus, vomitoriis, purgantibus, veſicantium applicatione, aliiſque ad rem facientibus adhibui, aut exhibere vidi: unde incertum ſemper erat, an ipſis tantum curatio referri debebat, an praemiſſis.

§. CXIV. Si quis tamen methodum, qua hiſce nos uſi ſumus exquirat, en quibus cautelis pluries exhibuimus. Bezoarticum utplurimum camphorae mixtum, praemiſſis praemittendis, dedimus iis praecipue, qui lentorem in venis habebant, non tamen inflammatorium, ſive quibus non aderant ſigna inflammationis validae,

ſed

ſed potius habebant pulſum parvum, & tardum, frigoris ſenſum non in extremis tantum, ſed pluribus in locis exhibebant explorati: aderat ſimul inertia actionum omnium, aliaque ſimilia ſymptomata, quae languidas nimis vires vitae oſtendebant, & impoſſibilem coctionem: neque tamen illud tanta doſi exhibuimus, ut intempeſtivum promovere poſſet ſudorem; quia ſudores genio morbi vix utplurimum convenire videbantur; potiuſque quam prodeſſe, nocere obſervatum fuerat; ideoque tanta edicebatur doſi, qua ſolveret viſcidum, & aequabilem humorum motum promoveret, & camphorae mixtum putredini reſiſtere poſſet. Obſervavit enim clar. Pringle duo camphorae grana plus valere ad impediendam putredinem, quam ſexaginta grana ſalis marini. Sed nemo magis camphorae vires adverſus inflammationem, putredinem, ac malignitatem laudibus extollit, quam clariſſ. Hoffmannus. Sufficiat nobis ex pluribus locis (*a*) unum tantum afferre: *Camphorae vires*, inquit, *& uſus ſunt longe excellentiſſimae. Propter ſuam oleoſam, & volatilem penetrantiam abit facile in auras hinc*

(a) In diſſ. de camph. uſu intern. ſecuriſſ: In Medic. ſyſt. Tom. III. ſect. II. cap. VIII.

hinc in corpore humano, non diu, ut oleoſa, retinetur, ſed inſenſibiliter tranſpirat, inque eo obtinet aliquid peculiare, quod licet ſit penetrantiſſimo principio, & ſumma inflammabilitate praedita, etiam in quantitate aſſumpta non ſenſibiliter calorem corporis augeat, niſi ubi cutis fuerit conſtricta, & tranſpiratio ſuppreſſa. Gaudet virtute diſcutiente, & ſimul anodyna. Creditur omnium alexipharmacorum princeps remedium, praecipue ſi cum nitro miſcetur, & vix ullum datur auxilium, quod tam eximie inflammationes internas aeque, ac externas diſcutit, quam ipſa camphora . . . . Porro in omnibus febribus putridis malignis contagioſis petechialibus, aliiſque exanthematicis ad malignitatem, & humorum putredinem infringendam, atque compeſcendam nullum praeſtantius, & praeſentius datur remedium, quam camphora, uti id innumerae medicorum obſervationes teſtantur (*a*).

§. CXV. Ad cinnabarim, quod adtinet, fateor me, non valde ea uſum eſſe; quoniam quoties parca doſi exhibetur, parum aut ferme nihil juvat: ſenſientem mecum invenio cl. Hoffmannum, qui de cinnabarinis ſic loquitur

(a) In ſuppl. Tom. V. de Mater. Med. cap. XVII.

tur (*a*) : *Cinnabarina ceu arcanum antiepilepticum a chymiatris potiſſimum magnis laudibus extolluntur; ſed vix reſpondet effectus, niſi in paulo largiori doſi ad grana decem, & repetita ad aliquot dies doſi uſurpentur*. Et Boerhaavius inquit (*b*): *Cinnabaris igne eſt unitus mercurius, & ſulphur ſpecie ſimplicis foſſilis, quod in plurimis fodinis a natura factum habetur ſimile factitiae, nec inde multum differt. Vis fere in corpore humano, ut aethyopis. Magnetem epilepſiae magnus vocabat Crato. Numquam inde adeo multum effectum vidi*. Et revera licet pluries repetitam viderim: multum inde effectus nec etiam ego perſpexi. Magna vero doſi numquam eam exhibui, quibus inflammationis, vel vehementiſſimae febris ſymptomata aderant; timebam enim ne mercurialis pars febrili motu nimium propulſa vaſorum latera valde arietaret. Fateor hanc pluries me exhibuiſſe, ut aliis morem gererem, ſed titubanti animo. Cum enim in omnibus fere putredo primas vias obſideret, timebam iterum, ne mercurialis pars aculeis mixta, irritantem vim acquireret, & ſpaſmos, ac comulſivos motus

(a) Med. Syſt. T. III. Sect. II. cap. III.
(b) Chem. Part. II. proceſſu v. II.

tus potius quam ſedaret, aut praeſentes augeret, aut abſentes induceret. Revera memini cujusdam juvenis ſanguinei, & quadrati temperamenti, de quo ſupra locutus ſum etiam, qui vehementiſſima conſtitutionali ſebre correptus fuerat, pro cujus curatione, & bezoardicum, & cinnabaris, & uſus aquae gelidae; & veſicantia adhibita fuerant, in quo pulſus adeo exiles obſervabantur, ut capilli magnitudinem vix aequarent; interea dum facies rubra erat, lingua arida, nec fractae adhuc vires conſiſtebant: quibus de cauſſis imperavi, ut omnia medicamenta omitterent; imo & aquam gelidam in naturalem commutarent; & tantum clyſteres laxantes injicerent: novaque hac methodo vidi, pulſus paullatim laxari, & ſolitam magnitudinem acquirere; & tandem priſtina ſanitas reſtituta fuit.

§. CXVI. Sed quid ſenſiendum de ſpecifico adverſus canis rabidi morſum in Tunqueen uſitato, ab Anglis adverſus febres malignas, & convulſiones commendato, & a noſtratibus in uſum revocato? Si ne vel hilum philoſophicus, ac hiſtoricus candor foedari patitur, fatendum hic eſt, deficere nobis debitam obſervationum

Digitized by Google

ſeriem, quae, ut fidenter de ejus viribus ſcriberemus, neceſſaria foret. Verum, ne inexpleta remaneat lectorum curioſitas, ſi licet, quae ratio ſuadet, quaeque clariſſimorum virorum auctoritas dictat, exponere: obſervandum primo cenſemus, quod cum conſtet ex aequali portione cinnabaris, & moſchi: & cinnabaris, ex dictis, tantae efficaciae non ſit, quantae vulgo adſeritur, videntur ſpecifici vires moſcho potius eſſe tribuendae. Revera ipſe dominus de Collinſon moſcho tantum acceptos referre videtur felices eventus: inquit enim in ſupra adlata epiſtola, *omnis enim ejus ſucceſſus plurimum e moſchi bonitate pendet*. Moſchum autem adverſus febres malignas valere, novum non eſt. Plurimi enim hanc alexiteriam virtutem ipſi adtribuerunt: en quomodo de ejus vi ediſſerit Ettmullerus (*a*): *Vulgo commendatur moſchus, quod ejus odor conveniat in arcenda peſte, de quo imprimis videatur Zacutus luſitanus lib.* 1. *Medic. princ. epiſtol.* 10., *uti etiam Terentius de Rebus indic. Mexic.*; *& ſimiliter omnes fere auctores conſenſiunt, quod moſchus egregiarum ſit facultatum, ac virtutum in malignis. Huic tamen non ſine ratione* con-

(a) In colleg. pharm. tom. III. pag. 200. edit. Ven.

Digitized by Google

contradicit Guibertus in Medico officioſo pag. 212., *qui tamquam pro aris, & focis pugnat, quod non conveniat in peſte, cui & ipſe ſubſcribendum eſſe cenſeo*. Caeterum quoniam moſchus, cl. Hoffmanno obſervante (*a*), conſtare videtur ex ſubſtantia ſulphurea volatili urinoſa tenuiſſima ſanguinis Dorcadis, ſive Cervi odorati, qui illum ſubminiſtrat, quae a membrana glanduloſa ſeparatur in folliculum, quem circa umbilicalem regionem fert, quaeque ibidem collecta fragrantem illam ſubſtantiam conſtituit: videtur, eodem Hoffmanno obſervante, in iis ſubjectis, quae ejus odorem ferre poſſunt, conſtituere ſummum analepticum; quoniam fluidum cerebri, & nervorum in motum concitat, unde quoque omnia medicamenta analeptica, & confortantia ingreditur; & propter ſulphur ſuaveolens non ſecus, ac Zibethum, & Caſtoreum, quo gaudet, virtutem quoque poſſidet anodynam, & ſedativam, unde in epilepſia non ſine fructu adhiberi poteſt. Neque ab Hoffmanno diverſus reperitur laudatus modo Etmullerus: *Quoad uſum*, enim inquit, *etiam quae de Zibetho dicta, hic applicari poſſunt; ſi quidem notum eſt*,

 quod

(a) In materia medica de moſcho.

quod ſit ſubjectum odoratiſſimum, ſpiritus animales mire afficiens, unde prodeſt interdum iis, praeſertim interno uſu, qui nocere alias creditur: odores in genere diſtinguntur in graveolentes, ut aſae foetidae, galbani &c., & ſuaveolentes, qui ſpiritus animales blande afficiunt; ut moſchus, & olea deſtillata aromatica penetrantiſſima. Talia ſuavia odorifera omnia, & gravia conveniunt, quod volatili ſua penetrantia mire afficiant ſpiritus animales, eorumque intendunt vim, eoſque agiliores, volatiliores, ac mobiliores reddant; unde torpidos excitant, deficientes non nihil reſtaurant, & virium imbecillitatem odore ſaltem corrigunt. Etſi non contemnibiles ſint moſchi in medicina vires, caute tamen exhibendus eſt; imprudenter enim interno, vel externo uſu adhibitus nocet potius, quam juvat. Hoffmannus utique de cauto ejus uſu ſic ſcribit: *Quod adtinet ad uſum moſchi, primo memorabile eſt, quod non omnes ejus odorem ferre poſſint, praeſertim foeminae debilitati generis nervoſi, & convulſivis motibus obnoxiae, utpote quae ab ejus uſu graviter laeduntur, atque in ſyncopem incidunt procul omni dubio, eam ob cauſſam, quoniam agiliſſimae naturae effluvia ad partes nervoſas, cerebrique membranas pe-*

Digitized by Google

penetrant, & has ad motus inordinatos jam proclives partes praeternaturaliter irritant, & in ſimiles abripiunt motus (*a*). Neque diſſimilia tradit Etmullerus: *Hunc in finem*, ait, *additur moſchus & Zibethum, quae tamen in his, qui gravioribus meditationibus, imo qui nimio ſtudio indulgent, caute uſurpentur; ratio eſt, quia in majores, & diffuſiores impetus aguntur; ſpiritus enim nonnihil ſubtiles, nimiſque volatiles diſſipant, quin imo ſimul inebriantem, ſeu caput turbantem vim habent. Hinc qui pro confortanda memoria iis nimium utuntur, tandem ſpirituum defectum inde ſenſiunt; legitime vero uſurpata in affectibus capitis ſumma medicina ſunt*. Haec omnia rite intelligenda erant, ut moſchus probe, & cum fructu exhiberetur; indiſcriminatim enim exhibere, adeo tutum non erat, praeſertim foeminis, poterat enim vel concitatos convulſivos motus augere, vel ſilentes excitare; & revera audivi ab aliquibus, quibus jam exhibere inceperant, auferre debuiſſe. In noſtris enim aegris cum motus convulſivi in plurimis ex putredine, acrique in inteſtinis exaltata bile nerveos plexus irritante orirentur, ni haec primo expellebatur, moſchi vi-

(a) De Mater. Medic. ſupp. Tom. V. de moſcho.

Digitized by Google

vires inutiles erant ; neque ſudores promovere tutum ſemper erat. Caeterum celeberrimi in arte medica, inclyta in hac urbe viri, debita pruden-tia , ac felici ſucceſſu moſchi uſum promove-runt Franciſcus Seraus, & Michaelangelus Ro-bertus. Inter quorum tentamina minime prae-tereunda videntur mira duo, nobis benigne com-municata. Eorum primum accidit non infimi ſubſellii hujus urbis viro Marchioni Saſſinorio; qui violentiſſima conſtitutionali febre deprehen-ſus, amens , diriſque convulſionibus vexatus, in mortis agone quaſi conſtitutus fuerat ; nul-lis proficientibus auxiliis, tandem laudati viri ad moſchi uſum confugerunt: drachmam ſemis ergo odoratiſſimi moſchi exhibuerunt mane, eandemque doſim veſperi, plurieſque repetierunt: promovit primo activiſſimum auxilium tremores vehementes, atque univerſales anguſtias; verum paullo poſt uberrimus ſucceſſit ſudor ; & exin-de primo deſierunt convulſiones ; poſtea men-ti naturalis acceſſit vigor , & tandem penitus, extincta febre, convaluit. Neque abſimile fuit alterum in honeſtiſſimo juveni inſtitutum, cui prae-ter laudatos viros , celeberrimus alter clinicus Caeſar cinque adfuit, qui moſchi uſu pariter

con-

Digitized by Google

convulſivam febrim feliciter ſuperavit.

§. CXVII. Auxiliorum tandem ultimum, quod varia fortuna jactatum vidimus, cortex peruvianus extitit. Acceptiſſimus hic quampluribus fuit, ſummiſque laudibus commendatus, interea dum alii non modo tamquam curationi ineptum, ſed ut omnimode noxium rejiciebant. Neſcio quonam infelici, & auxilii, & aegrorum fato, factum fuerit, ut celeberrimae ejus vires apud hoſce tam iniquam expertae ſint ſortem. Nullius fortaſſe hactenus cogniti praeſidii adeo efficaces, adeoque vaſtae, quam corticis peruviani compertae ſunt vires. Non modo enim intermittentes febres jugulat, gangraenas ſiſtit, atque evertit; ſed hyſtericae, ac hypocondriacae paſſioni mire confert; & putrido-bilioſis febribus rite exhibitus, mira efficacia, medetur, ut fidelia obſervata, ac clariſſimorum virorum inconcuſſa teſtimonia docent. Cur ergo tanta diſſenſio? Si libere eloqui licet: ex imprudenti ejuſdem exhibitione ortum habuiſſe videtur mihi. Inopportune enim exhibitus clariſſimo Sydenhamio, aliiſque advertentibus, non modo minime prodeſt, ſed plane obeſt. Prudentiores vero clinici compertas praeſidii vires, opportunis

nis occaſionibus adminiſtrantes plurimos ex orci faucibus eduxerunt: hinc cortici & laus, & ſummae efficaciae in debellando morbo exiſtimatio acceſſit. Verum haec eadem, & aegrorum vitae, & corticis exiſtimationi quamplurimum nocuerunt. Vulgus enim auxilii non ſatis compertas vires intempeſtive applicans, & aegros fortaſſe jugulavit; & remedium e concepta ſpe cadere fecit.

§. CXVII. Cum ex ſupra dictis in noſtra conſtitutione putrido-bilioſa materia in primis viis exiſtens, maxima parte morbum procrearet corticem peruvianum locum habere non modo ratio ſuadebat, ſed experientia ipſa pluribus in caſibus confirmavit. Plurimi enim corticis uſu liberati ſunt. Verum quoniam in quamplurimis praeter putrido-bilioſam materiam hepatis, vel alius partis inflammatio, aut phlogiſtica ſanguinis diatheſis ſimul aderat, non omnibus conveniebat; imo & in quibus competere videbatur, non omni morbi tempore exhibere tutum erat. Quare ſi obſervationes noſtras in medium proferre licet, en quae experti ſumus.

§. CXIX. Poſtquam repetitis obſervationibus con-

Digitized by Google

conſtitit nobis, dari revera conſtantem utplurimum in febricitantibus noſtris periodum, multoſque complicatis de intermittentium genere febribus laborare; quarum productae acceſſiones nullum apyrexiae tempus, ſed tantum ſenſibilem remiſſionem praebebant; & quarum novi paroxiſmi vel frigore, vel ſymptomatum augmento aperte ſatis cognoſcebantur, cepimus eas cortice peruviano profligare. Verum nemini eum, niſi Sydenhamii, & Boerhaavii cautelis religioſe obſervatis, propinavimus umquam. Numquam ergo praemature nimis illum, ſed poſtquam ſuo marte aliquantiſper ſe protriverat morbus, exhibuimus: primiſque diebus curavimus, ut ſordes primarum viarum, vomitorio, aut propriis purgantibus eliminarentur: humorumque viſcerum naturalium ſive circulatorius, ſive excretorius curſus expeditus fieret; & ſi turgentis plethorae ſigna aderant, ſanguinis miſſione, etiam repetita, ſi opus fuerat, vaſa evacuatione relaxare curabamus.

§. CXX. Hiſce indicationibus poſtquam ſatisfactum fuerat: ſeptimo morbi die, fere decurſo octavo, nempe nono, vel decimo, corticis uſum arripiebamus, aliquando illum in ſub-

ſtantia cum magneſia nitri, ſaepe vero decoctionis forma exhibuimus. Quare dimidiam corticis unciam, aquae fontis libra, utplurimum ad tertiae partis conſumptionem ebullire ſinebamus: reliquae novem ab ebullitione ſuperſtites, duabus, aut tribus vicibus, horis matutinis, quae utplurimum remiſſionem limitabant, exhibebamus; ita ut inter varias aſſumptiones decoctionis, uſus aquae minime intermitteretur. Superveniente nova acceſſione, relinquebatur corticis uſus, qui iterum altera redeunte remiſſione reſumebatur, eadem methodo; & vidimus non modo ſymptomata novo acceſſionis ingreſſu mitiora adveniſſe, ſed utplurimum vomendi conatum, qui fere uſque ad altiores dies ſequebatur, remitti, alvique egeſtiones varicolores flavas fieri; & omnia ad aequam formam componi, ac tandem aegros priſtinam ſanitatem acquirere die 14., 17., aut 21., pro diverſo tempore, quo corticis uſus aſſumptus fuerat Imo candide fatemur, maximam partem eorum, qui curationi noſtrae ſe commiſerunt, corticis uſu evaſiſſe: exceptis tantummodo illis, qui evidenti vel obſcura inflammatione laborare videbantur.

§. CXXI.

Digitized by Google

§. CXXI. Memini quoque me audiviſſe, aliquando non infimi ſubſellii Medicos primis diebus felici cum ſucceſſu corticem exhibuiſſe: optavi, ut ſimilia experimenta & ipſe caperem: cum ergo prae manibus eſſet juvenis aetatis ſuae ann. 22. circiter, ſanguinei, & elaſtici temperamenti maniſeſtiſſima periodica febre laborans; quoniam acceſſiones invadebant frigore; & ſi non ad perfectam apyrexiam perveniebant, tamen ſummam remiſſionem obtinebant. Huic ob nonnulla contraindicantia vomitorium minime exhibueram; ejus tamen vice oleum cum acredine citri aſſumpſerat, quod miras biliosae & putridae materiae evacuationes tam per ſuperiora, quam per inferiora produxerat, cum non parvo levamine. Interim bis vel ter ſanguis quoque emiſſus fuerat. Febres tamen conſtanti periodo redibant. Viſum tunc fuit, nullibi magis, quam in hoc caſu, corticis praematurum uſum competere poſſe; ideoque methodo ſupra indicata matutinis horis circa quintum, vel ſextum diem corticis decoctum propinare feci: poſtero die pulſus revera non adeo febricitare videbantur, ſed oppreſſi, & contracti magis erant; acceſſit anguſtia, & jactatio, & internus ca-

 lo-

Digitized by Google

loris ſenſus ; petechiae , quae vix per cutem prius conſpiciebantur , evidentiores apparuerunt, imo lividae: noctu delirare cepit , & omnia in deterius ruebant . Poenituit tunc, me illud ex auditu tentaſſe ; & ſtatim corticis uſum interdixi , diluentibus , clyſteribus laxantibus , nova ſanguinis miſſione curationem perſecutus ſum uſque ad decimum quartum diem , quo tempore ſatis bene ſe habuit: deinde ut febris , quae adhuc, licet non tanta violentia ſuperveniebat , penitus extingueretur , iterum corticem exhibui , non ſolita methodo , ſed tantum duas corticis drachmas ſex aquae unciis ebullire feci , qua quidem leviori decoctione ſtatim morbum profligavi.

§. CXXII. Non modo numquam praemature, ſed nec etiam ubi inflammationis internae ſigna aderant , exhibuimus . Verum ſigna haec non ex linguae tantum ariditate accipiebamus; quoniam haec aliquando ab ſimplici externa linguae membrana criſpata oritur, quae ab putredine vel bile internam ventriculi membranam fodicante, per conſenſum originem ducit . In pluribus enim licet arida videbatur lingua, corticem exhibuimus; ejuſque efficacia, correcta, & expurgata bile, atque putredine, linguae humiditas

Digitized by Google

tas. rediit. Aſt ubi cum linguae ariditate dolor continuus in aliqua Abdominis parte, praeſertim in hepatis regione aderat, ſimulque & ſenſus ardoris interni, aliaque ſimilia inflammationis ſigna, corticem numquam exhibuimus; quia tunc pluribus admonentibus, praecipue Swietenio, corticis uſus noxius eſſe ſolet: *cum levior*, inquit, *hepatitidis ſpecies aliquando intermittentes Autumnales epidemicas comitatur, in quibus ſemper peſſime ceſſit corticis uſus* (*a*). Ob non bene obſervatam regulam hanc, aegrorum plures ex uſu corticis male affecti fuerunt; ideoque a minus peritis in omnibus efficax adeo remedium vituperabatur. Neque umquam exhibuimus, ubi collecti puris in aliqua parte ſuſpicio aderat, aut profundae nimis obſtructionis. Propinavimus tamen velut antiſepticum, ubi ſigna gangraenae deprehendebantnr; verum de hac alia virtute fortaſſe dicemus inferius. Ad formam exhibendi, quod adtinet, praeter expoſitos modos, aliquando ſub forma extracti, reſinae, magiſterii pro aegrorum diverſitate exhibuimus.

De

(a) In comm. ad Aph. §. 767.

De curatione ſymptomatum.

§. CXXIII. Quamquam ſymptomata velut morbi principis effectus, generali illius curatione evertantur; tamen quoniam univerſalis, & eradicativa curatio illa, non ſemper brevi abſolvi poteſt, & utplurimum temporis aliquod intervallum exquirit; & interim urgentia ſymptomata poſſunt aegros jugulare, priuſquam ars vel natura principem morbum evertat; ideo clinici aliquando ſymptomatibus curationem aliquam adhibent; quae quidem pro parte morbum principem curat; quia, ut inquit Boerhaavius (*a*), *mitigando ſymptomata ſemper etiam aliquid de morbo primario tollitur*: deinde impediens ne oppreſſione functionum vitalium, vel animalium aeger intereat, impetrat tempus; ut everſione cauſſarum profligetur morbus princeps. Non ergo de omnibus hic dicere, ſed de iis tantum diſſerere eſt animus, quae quoties aderant, aegros in ſummo vitae diſcrimine conſtituebant, quae ergo calculum mereri videntur; ſunt Lypothimiae, Meteoriſmus, Affectiones capitis vel comatoſae vel

(a) Inſtit. Med. num. 1244.

Digitized by Google

vel vigiliae, deliria, motus covulſivi, Gangraenae, caetera generali curatione ruebant.

§. CXXIV. Ad Lypothymias, quod adtinet, fateor, me non adeo ſpecifica remedia adhibuiſſe: oriebantur enim fere a motu bilis, & putridae materiae in primoribus inteſtinis exiſtentis; ideoque coctione, & evacuatione illius, de qua ſupra actum eſt, occurrebatur, externe aceto acerrimo, ſpiritu vini canphorato naribus, temporibus applicatis medebatur; & praecipue quiete; quia tunc praeſertim apparebant, cum aegri propriis viribus committebantur, ut e lecto deſcenderent, vel ad alvum deonerandum, vel alia de cauſſa.

§. CXXV. Meteoriſmus, ſive mira abdominis intumeſcentia aliquando incurabilis erat, praecipue cum ex gangraena, & interna reſolutione oriebatur; & quoties neglectus in principio confirmabatur. Quando vero recens erat, neque inflammationis aderat ſuſpicio, & ex rarefactione tantum flatuum in inteſtinis oriebatur: tunc ad illum evertendum profuiſſe vidimus uſum aquae gelidae, aliquando limonis ſucco infectae, ſive quod frigore flatus coercebantur, ſive quod eodem aucta fibrarum elaſticitate compri-

me-

Digitized by Google

mebantur, & per ſuperiora, aut inferiora propellebantur: aliquando ipſam nivem exhibuimus, & aliquando externae abdominis regioni cum fructu applicuimus, non ſecus ac ſe feciſſe refert Tiſſot.

§. CXXVI. Affectionibus capitis primi generis duplici via occurrebatur, primo alvum ſubducentibus, materiae morboſae aliqua portione ſubducta, locus concedebatur ſanguini; ut per inferiora facilius deſcenderet, & caput non adeo opprimeret: ſecundo ſanguinis miſſione vel cucurbitulis dorſo, occipiti adplicatis, vel aperta jugulari occurrebatur. Secundi vero generis affectiones deliria nempe, vigiliae, convulſiones &c. curabantur primo revellentibus a capite, nempe alvi ſubductione, & ſanguinis miſſione, ſecundo antiſpaſmodicis. Opiata non adhibuimus, exceptis emulſionibus ex ſeminibus frigidis, & papaveris albi; quia timebamus, ne aut in contrarium rueremus vitium, aut incipientis gangraenae productionem confirmaremus. Neque multa ad convulſiones oppoſuimus; erant enim ſymptomaticae, & ex irritatione nervorum viſcerum imi ventris proveniebant per magnum ſympathetium propagatae; unde quoties cauſſa concoquebatur,

& ex-

Digitized by Google

& expellebatur, evaneſcebat, ſine aliûs remedii ope.

§. CXXVII. Gangraenae vel internae, vel externae erant. Ad externas quod adtinet, incipientibus vino myrrhato medebatur: pulcherrimis enim experimentis a celeberrimo Pringle peractis patebat, myrrham potentiſſimum antiſepticum eſſe, multoque magis alia ejuſdem generis efficacia ſuperare; & aliquando chinae decoctum adhibebatur, quod ſi hiſce non cedebant, ferro, & igne prudentiſſimi Chyrurgi curabant. Ad internas quod adtinet, aqua frigida, decocto chinae occurrebatur, aliiſque ſpecificis.

De Diaeta.

§. CXXVII. Reliquum tandem eſt, ut de diaeta, cui auſcultabant aegri noſtri, aliqua adjiciamus. Princeps & primus Diaetae cardo in alimentorum aſſumptione conſiſtit: haec autem oportet, ut nec quantitate, nec qualitate noceant: optima quaevis, ſi quantitate digeſtivas ventriculi vires tranſcenderint, digeri nequeunt, & laedunt potius, quam juvant. Nec minus nocent cibaria, licet parca quantitate aſſumpta, ſi

qualitate, naturae humanae ſint oppoſita. Plurima, & pulcherrima de hac re praecepta tradidit Hippocrates libris de diaeta, alibique: nos hic tantum aliqua ad rem noſtram ſpectantia ſeligimus. *Impura corpora*, inquit ergo Hippocrates (*a*), *quo magis nutriveris, eo magis laedes*: en ratio cur prima morbi aetate nihil alimenti aegris noſtris exhibebamus; cum enim tunc temporis putredo, & impuritas ſumma in primis viis, totoque corpore adeſſet, alimenta exhibere, idem erat, ac eoſdem magis laedere. Primis ergo diebus pro medicamento, & alimento inſerviebat aqua, vel gelida, vel naturalis, vel pura, vel ſucco aliquo acido infecta. Sublata morbi acurie, remiſſiſque ejuſdem viribus, quoties aegrorum jam debiles vires inſtaurationem requirebant: tenuiſſimus cibus primo ipſis exhibebatur, qui paullatim plenior pro morbi remiſſione evadebat juxta aliud Hippocratis monitum: *ubi igitur peracutus eſt morbus, ſtatim extremos habet labores, & extreme tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt. Ubi vero non, ſed plenius cibare licet, tantum a tenui recedendum, quantum*

(a) Aph. 10. ſect. II.

Digitized by Google

tum morbus remiſſior extremis fuerit (*a*). Semper ſub forma humida illum quoque propinavimus; quia eodem monente, *victus humidus febricitantibus omnibus confert* (*b*): quibus placitis conſentire videtur Cornelius Celſus, cum inquit, *Cibus autem febricitantibus humidus eſt aptiſſimus, aut humori quamproximus, utique ex materia quam leviſſima, maximeque ſubito, eaque ſi magnae febres fuerint, quam tenuiſſima eſſe debet* (*c*): quare aquae vel hordeum, vel avenam, vel panis fruſtulum incoquere faciebamus, & ipſam ſorbendam exhibebamus: ita enim prioribus indicationibus ſatis fiebat, & paullatim nutrimentum promovebatur. Decreſcente ulterius morbo, ſorbitiones denſiores parabamus; deinde panadellas ſimplici aqua paratas exhibuimus, & juſcula ex pulli gallinacei carne leviſſima confecta, quibus aliquando limonis ſuccum adjecimus.

§. CXXVIII. Ubi vero morbus ex toto deſierat pleniori diaeta utebamur; hac tamen lege, ut ſi alvus adſtricta foret, ex oleribus potius pararetur: & praecipue ex foliis cichorei, bora-

(a) Aph. 7. Sect. I.
(b) Aph. 16. Sect. I.
(c) Lib. III. cap. VI.

Digitized by Google

raginis, endiviae, aliiſque ſimilibus, quod ſi recte alvus ſervabatur, aut potius lubrica foret, ex cerealibus variis modis paratis, atque juſculis pullorum gallinaceorum incoctis parabatur: carnes prorſus interdicebantur, & tantummodo vel hepar gallinaceum, vel inteſtina earumdem, aliaque hujuſmodi concedebantur; ventriculo naturali robore accedente, progrediebatur ad carnes firmiores: primo tamen pulli gallinacei aſſati exhibebantur, deinde ipſae vitulinae carnes. Ex piſcium genere permittebantur mullus, haleces, aliique hiſce ſimiles, optimi nutrimenti, faciliſque coctionis; aliquando juxta Hippocratis monitum, licet inſalubrior, quia ſuavior, & aegrorum conſuetudini magis accomodatus, exhibitus fuit cibus. Sed nil magis plurimis contulit ad integram ſanitatem obtinendam, quam ſeceſſio in puriorem, & ſalubriorem aërem, qui alterum diaetae cardinem conſtituit.

§. CXXIX. Ad aërem, quod adtinet, multiplici ex cauſſa in aegrorum curatione locum ſibi vindicat. Elaſticum enim hoc fluidum preſſione ſua in humana corpora muſculum veluti antagoniſtam cordi conſtituit. Sicuti enim cor ſan-

Digitized by Google

ſanguinem a centro ad corporis circumferentiam propellit; ita Aër preſſione ſua venoſum ſanguinem a circumferentia ad centrum pellit, & arterioſum quoque modo remorans, efficit, ut renixu ſuo verſus cor, ejus vires augeat, atque conſervet: hinc videmus corpora in humido & effeto aëre ſtatim inertia languere. Deinde aliis proprietatibus humiditate nempe, calore, frigore inter ſe probe temperatis, animalium vitae ſavet, ita ut vires ejus neque nimium excedant, neque deficiant valde, ſed debita proportione conſiſtant.

§. CXXX. Ubi ergo primum morbi deprehenſi erant homines, cum aëris mutatio, tunc temporis tentari nequiret: arte domeſticus aër curationi opportunus reddebatur. Reſeratis cubiculi foribus atque feneſtris, eundem aſſidue renovari, levibuſque auris perflari, curabatur; ut vetus frequenti inſpiratione, & tranſpiratione vitae ineptus redditus ablegaretur, noxiiſque vaporibus atque exhalationibus repurgaretur, & reſpirationi, ac vitae idoneus magis redderetur. Nihil enim magis nocet, quam clauſus, & quiete ineptus redditus aër. Inſuper pavimenta odoriferis foliis citrii, roſarum, & aceto conſpergeba-

Digitized by Google

batur, ut odoroſis effluviis noxii vapores infringerentur, & praecipitarentur. Morbo tandem ſuperato in ruralem aërem ſeceſſio edicebatur.

CANONES PRACTICI.

I. NUllum praeſtantius auxilium in Morbis popularibus a quacunque cauſſa ortis experitur: quam ut iisdem obſeſſa loca, omnibus, quae aërem inquinare poſſunt, ſtatim luſtrentur.

II. Urbium Pagorumque infectorum luſtratio reſpicit omnia putrida, bruta ſenſuque carentia, vel viventia & animata.

III. Ad bruta, quod adtinet, omni ſollicitudine coenum & ſordes omnes, quae expiratione ſua poſſunt aërem inquinare abjiciantur: & inquinatus aër, quoad fieri poterit fumis, atque effluviis quibuſcunque odoratis, genio morbi contrariis repurgetur.

IV. Quod vero ad viventia, & animata pertinet: ſtatim pauperes debitis locis ſecludantur a ſanorum conſcſſu; & rite nutriantur. Heu quantum inobſervatus hic Canon urbi nocuit;

Digitized by Google

cuit; inopes enim, & jam infirmati, ſtipem quaerentes, morbum undequaque propagabant.

V. Luſtratio, quae infectorum curationem reſpicit, praecipit, ut ſtatim extra maenia, & in puriori aëre, quanta poſſibilia ſunt, Noſocomia extruantur; ita enim aegri commode magis collocati, nec alios inficiunt, & propriae curationi ſe magis idoneos praebent.

VI. Singulis Noſocomiis primi ſubſelli Clinicus, ejuſdemque ordinis Chyrurgus praeeſſe debent: non ut ſingulos aegros inviſent; ſed ut aliorum medicorum aegris quotidie adſiſtentium obſervationes audiant, cognitaque morbi natura, generalem, atque ſanam medendi methodum inſtituant, anomaliſque caſibus proſpiciant. O utinam prima morbi aetate apud nos haec fuiſſent inſtituta: fortaſſe, nec morbus adeo propagatus eſſet; nec tanti a vivis deceſſiſſent: plurimi enim extincti fuerunt ob peſſimum regimen; aegris enim utplurimum praeerant, qui de remedica vix quicquam intelligebant; & veſicantia ab imperitis pertractata peſſime cedebant.

VII. Noſocomiorum purus aër, aegrorum tranſpirationibus inquinatus, renovetur quoque, & de-

depuretur vel machinis a phyſicis nuper inventis: vel ſaltem aegri in ipſis Noſocomiis degentibus de loco in locum transferantur, ut in celeberrimis Italiae Noſocomiis in uſu eſt, & nobis obſervare licuit in noſtra peregrinatione per celebriores Italiae urbes.

VIII. Clinici diverſis Noſocomiis proſpicientes, aliique celeberrimi per urbes medentes in conſilium aliquando conveniant, ſibique mutuo obſervationes communicent, ut morbi genius, natura, anomaliae melius innoteſcant; quaeque feliciori ſucceſſu tentata ſint auxilia, omnibus pateant; communiſque medendi methodus ſtatuatur. Hi videntur nobis potiores; alii ex iis pendentes omittimus; quia facile intelliguntur.

F I N I S.

101 1460951

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Franceſco Morelli pubblico Stampatore volendo dare alle ſtampe un'opera intitolata *Hiſtoria Epidemiae Neapolitanae an.* 1764., *Opera ac ſtudio Caeleſtini Cominale elucubrata*; ſupplica perciò l'Eminenza Voſtra a commettere la reviſione a chi meglio le parerà, e l' averà a grazia ut Deus &c.

Cl. V. D. Michaël Angelus de Rubertis, revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 7. Novembris 1764.

PH. EPISCOPUS ALLIFANUS VIC. GEN.

Joſeph Sparanus Can. Dep.

Librum, cui titulus -- *Hiſtoria Epidemiae Neapolitanae ann.* 1764. *a Doctore Phyſico D. Caeleſtino Cominale* exaratum, juſſu Eminentiae veſtræ attente perlegi. Nihil bonis moribus, aut Chriſtianæ Religioni adverſum inveni; quinimmo ſedulitatem in obſervando, & elegantiam, ac nitorem in opere conſcribendo ſum admiratus; quare publica luce digniſſimum cenſeo; ſi ita &c. Neapoli die 5. Decembris 1764.

Umillimus, & addictiſſimus famulus
Michael Angelus Ruberti Prof. Reg.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum 5. Januarii 1764.

PH. EPISCOPUS ALLIFANUS VIC. GEN.

Joſeph Sparanus Can. Dep.

D d S.R.M.

Digitized by Google

S. R. M.

Signore.

Franceſco Morelli pubblico Stampatore volendo dare alle ſtampe un' opera intitolata *Hiſtoria Epidemiae Neapolitanae an. 1764., opera Caeleſtini Cominale elucubrata;* ſupplica V. R. M. a commetterne la reviſione a chi meglio le ſembrerà, e l'averà a grazia *ut Deus &c.*

A. & M. Doctor D. Michaël Angelus de Robertis, in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor, revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 4. Novembris 1764.

Nicolaus de Rosa Episc. Put. C. M.

Hiſtoriam Epidemiae Neapoli an: 1764. graſſatae a Doctore Phyſico Caeleſtino Cominale eleganter, nitidiſſime, & diligenter *conſcriptam*, elaboratamque ſtudioſiſſime, juſſu tuo perlegi; neque quidquam, quod Orthodoxiae, Ethicae, aut Regiis juribus adverſaretur, inveni; quare, quo publicae utilitati praeſto conſulatur, typis mandari cenſeo: ſi ita &c.

Neapoli die 5. Decembris 1764.

Obſervantiſſimus Famulus
Michael Angelus Ruberti Prof. Reg.

Die

Die 7. Menſis Jannarii 1765. Neapoli.

Viſo reſcripto ſuæ Realis Majeſtatis ſub die 22. Decembris proximo elapſi anni, ac relatione Doctoris Phyſici D. Michaël Angeli de Robertis, de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Realis Majeſtatis.

Regalis Cameræ Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, & approbationis dicti Reviſoris. Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica hoc ſuum.

DE FIORE. VARGAS MACCIUCCA.

Illuſtris Marchio Citus Pr. S. R. C. temp. ſubſcr. imp. & cæteri Illuſtres Aularum Præfecti non interfuerunt.

Reg. fol.

Carulli.

Athanaſius.

ER-

Errata			Corrige
Pag. 7.	lin. 6.	abnoxia	obnoxia
22.	lin. 22.	revus	rebus
28.	lin. 17.	effectivus	effectibus
46.	lin. 7.	novae	noxae
47.	lin. 24.	Niment:	Aliment:
61.	lin. 20.	vidicandi	vindicandi
63.	lin. 12.	ex excretionibus	excretionibus
77.	lin. 10.	pavam	parvam
77.	lin. 24.	maraca	meraca
96.	lin. 14.	cordis	motus cordis
154.	lin. 25.	eidem	eundem
159.	lin. 19.	aliiſque	aliique
161.	lin. 21.	quantitatem	qualitatem
178.	lin. 18.	ſuccedat	ſuccedebat
190.	lin. 23.	juveni	juvene
200.	lin. 24.	ſympathetium	ſympatheticum

Digitized by Google

LOA 1460351

Digitized by Google

Digitiz